Adolf v. Braun 57

PHARMACOPOEA DANICA,

REGIA AUCTORITATE

A

COLLEGIO SANITATIS REGIO HAFNIENSI

EDITA.

HAFNIÆ.

SUMTIBUS C. A. REITZELII,
BIBLIOPOLÆ UNIVERSITATIS HAFNIENSIS.

1840.

TYPIS EXCUDEBAT BIANCO LUNO.

PROOEMIUM.

Pharmacopoea danica novissima, quum anno 1805 edita sit, ad tantam vetustatem pervenit, ut eo justior omnium querela sit, quo majores hoc ipso, quod postea effluxit, tempore progressus ars fecerit. Itaque Collegium Sanitatis regium videtur sibi explere officium jampridem impositum, cui exequendo complures res adhuc moræ et impedimento fuerunt, dum in medicorum nostrorum et pharmacopolarum usum talem Pharmacopoeam exhibere nititur, qualem cum hujus temporis arte congruere existimat.

Quod ad medicamenta præparata et composita attinet, modo in iis, quæ propter pravam præparandi rationem diversas proprietates physicas habere possunt, certa bonorum signa commemorata sunt; in iis vero, quæ facilius pararentur et in quibus errores difficulter com-

mitterentur, hæc res haud necessaria et supervacanea visa est.

Ex iis medicamentorum nominibus, quæ usitatiora sunt, plura afferre placuit, ut vix metuendum sit, ne ex appellationibus prolatis non agnoscantur.

Tandem animadvertere rogamus, ut medicamenta signo □ notata ea sunt, quæ in omnibus, etiam minoribus officinis præsto esse debent, sicuti in venena et medicamenta heroica signo trium crucum ††† insignita conservanda et dispensanda curam singularem pharmacopolæ ut attendant, monemus. Hæc signa †††, in priori pharmacopoeæ parte singulis venenis et heroicis apposita, quum in parte posteriori inter corrigendum omissa essent, non dubitavimus tabulam, venena et heroica posterioris partis continentem addere.

PRÆMONENDA.

A. *De Pondere et Thermometro.*

Ratio ponderis in medicina apud nos usitata a libra norimbergica, medicinalis quæ vocatur, grammatis gallicis **357,66391**, æquali, desumitur.

Pondera libræ minora sunt: *Uncia*, *Drachma*, *Scrupulus*, *Granum*.

Libra	continet	*Uncias duodecim.*
Uncia	—	*Drachmas octo.*
Drachma	—	*Scrupulos tres.*
Scrupulus	—	*Grana viginti.*

Mensura nostra (dan. Pot) æquat *Uncias triginta duas.*

Thermometrum centigraduum sive Celsianum ad gradum caloris constituendum adhibeatur. Gradus ejus decimus quintus supra punctum gelu temperaturam mediam indicat.

B. *De Partibus vegetabilibus colligendis, siccandis, conservandis.*

Omnes plantarum partes e plantis sponte crescentibus neque cultis sunt colligendæ, atque, si feræ haberi non possunt, e locis natalibus siccatæ importandæ, nisi cultura diuturna quasi indigenæ habeantur, ut cerealia, pomacea. Eo colligendæ sunt tempore, quo maxima vi medica scatent.

Radices aut vere aut æstate sunt colligendæ. Tempus collectionis vernale id est, quo folia evolvi incipiunt, autumnale, quum delapsa sunt folia atque in plantis biennibus caulis. Autumno collectio facilius instituitur, quia, quum pars plantæ adhuc restet, in ea colligenda minus erratur neque timendum est, ne alterentur partes constitutivæ radicis, quod verne interdum citius fit. Quocunque autem tempore colligatur radix, sit succulenta, flexilis neque e plantis nimis vetustis depromta. Si ætatem plantæ respicias, biennes sub finem prioris anni, perennes anno ætatis secundo aut tertio sunt colligendæ.

Cortices eodem tempore, quo radices, colligendi atque ex arboribus adultis decerpendi sunt.

Lignum Juniperi tempore hyemali succidetur.

Stipites Dulcamaræ autumno, quo tempore succo efficaci scatent, resecandæ.

Folia eo tempore, quo maxime evoluta sunt, quum organa reproductionis nasci incipiunt, decerpenda. Nam ante hoc tempus succus, qui iis continetur, minus efficax est; quum floret planta, vis in organa reproductiva conversa est; post quem terminum decoloratio foliorum insequens mutatam eorum indolem indicat.

Flores colligendi, quum petala omnino evoluta sunt, excepta Rosa gallica, cujus color et principium adstringens diminuuntur, quo magis evolvitur flos. Neque rore neque pluvia humidi esse debent, quare interdiu tempestate sicca decerpendi sunt; excipiendi tamen sunt odore fortiore scatentes, qui, quum calor meridiei majorem partem principii odori auferat, aut ante aut post meridiem colligantur.

Fructus perfecte maturi esse debent; carnosi, ut fraga, mora, fructus rubi idæi etc. hunc terminum vix acquisisse debent, quia nimis maturi succum magis mucilaginosum et viscosum præbent. Fructus papaveris somniferi colligendus

est, quum capsula perfecte evoluta est, ante exsiccationem ejus naturalem.

Semina modo perfecte matura colligenda, quum capsulæ semina continentes sponte dehiscere incipiunt, et, quæ fructibus carnosis continentur, si hi maturitatem perfectam obtinuerint.

Aqua ante bene abluendæ sunt **Radices**, quam siccentur, quæ methodus præsertim in radicibus multis fibris instructis siccandis præferenda est ei, quæ partes terrestres post siccationem denique amovere jubet.

Radices haud adeo succulentæ et crassæ strato non denso expansæ in locum aëre bene perflatum et apricum seponantur. Si succulentæ et crassiores sunt, convenit eas primum perscindi et deinde in filis suspensas siccari. Radices bulbosæ, quæ modo recentes adhibentur, non siccentur.

Cortices ut radices, nulla lavatione instituta, siccentur.

De **Foliis** idem valet.

Flores eodem modo cito siccentur. Convenit quoque inter siccationem eos charta obtegere, ne vis lucis colorem nimis lædat. Rosa et viola a calycibus primum liberentur.

Semina, nuda quæ vocantur, strato haud denso expansa, ut flores; quæ involucris continentur, in iis servata siccentur. Semina cydoniorum, quæ carne circumdata sunt, ab hac primum liberentur.

Quod attinet ad siccationem partium vegetabilium in genere, sponte sequitur, eas, quæ principio volatili præditæ sunt, in loco aëre perflato melius quam in aprico siccari, quia calor sole effectus partem principii volatilis auferat.

Omnes partes vegetabiles ita conservandæ sunt, ut lux, humiditas, partes pulverulentæ, quæ aëre continentur, iis abstineri possint. Si pars servanda non adeo magna est, in vasis murrhinis tectis aut scriniis ferreis stanno obductis et operculo tectis optime conservantur. Majori parti servandæ inserviunt scrinia lignea charta ope luti amylacei interne tecta, cui, ut insecta abstineantur, immixtum est alumen, aloe aut aliud principium amarum.

Partes vegetabiles ita asservatæ sæpius quoque inspiciendæ sunt, ut impediatur, ne nimis alterentur, atque ut jam corruptæ partes auferri possint.

C. *Regulæ speciales de quibusdam operationibus et præparatis.*

Pulverisatio. Omnes partes, quæ huic operationi subjiciuntur, a quisquiliis, iis forte inhærentibus, optime mundatæ sint. Quod præsertim de radicibus aliquot fibrosis ut valeriana, geo urbano, angelica valet, in quibus inter ipsam radicem et fibras partes terrestres sæpe inhærent, quæ leni concussione et insequente cribratione amoveri possunt. Radices magis tenaces ut glycyrrhiza, sarsaparilla primum conscindantur. Ut radix saleb indole sua cornea privari possit et ita facilius in pulverem converti, convenit radices per duodecim horas in aqua macerari et deinde abstersas siccari. Nuces vomicæ ante pulverisationem limandæ sunt.

Quod ad eas partes attinet, quarum textura quidem ita varia, ut alia earum pars facilius, alia difficilius in pulverem redigatur, utraque autem pars æque efficax est, convenit, totam partem in pulverem simul convertere, ut jalapa, rheum, cinnamomum, cantharides. Si contra textura ita varia est, ut pars admodum efficax, pars prope omnino inefficax sit, non diutius instituenda est pulverisatio, quam

donec pars remanens rejicienda odorem et saporem fere amiserit. Nunquam in alteram pulverisationem servandæ sunt partes ita remanentes. Ut partes heterogeneæ cujusdam substantiæ pulveratæ in partem homogeneam redigi possint, necesse est, post peractam pulverisationem pulvis bene misceatur.

Partes vegetabiles et animales in mortario ferreo polito apte pulverari possunt; salia et alia corpora, quæ in metallum vim exercent, in mortariis lapideis pulverentur.

Pulveres ita parati in vitris aut vasis epistomiis vitreis aut subereis munitis loco sicco, ne humiditatem et mucorem attrahant, asserventur. Gummi-resinæ, quæ post pulverisationem hyeme instituendam in massam compactam facile delabuntur, in vesicis olei pauxillo illitis optime servantur. Gummi-resinæ itæ pulveratæ nomine „*depuratæ*" insigniuntur.

Concisio. Lege artis ita instituitur concisio, ut omnes partes eandem fere magnitudinem obtineant, pulverulenta inter concisionem effecta cribro bene separentur. Copia nimis magna simul non conscindenda est; quæ partibus volatilibus prædita sunt, in vitris tectis aut scriniis ferreis stanno obductis et bene tectis loco sicco asservanda.

Aquæ destillatæ. Si major harum copia paratur, in lagenis murrhinis operculis tectis; si minor, in lagenis vitreis epistomiis munitis servetur. Convenit, has aquas per aliquot dies (octiduum circiter) post destillationem ante servari, quam dispensentur, quia eo odor gratior reddatur. Pro destillatione aquas ope olei ætherei ex tempore parare, omnino non liceat.

Electuaria. Ne in fermentationem abeant aut mucorem attrahant sollicite cavendum est, quare in vasis murrhinis tectis servata in cellam siccam seponantur.

Decocta. Si in formulis medicorum modus progrediendi non satis distincte præscriptus est, decoctio ita fieri debet, ut, si pro certa aquæ copia medicus „*quantum satis*" scripsit, colaturæ duplex aquæ pars sumatur; si decoctum cujusdam substantiæ simpliciter præscribitur ad singulam unciam colaturæ efficiendam drachma substantiæ adhibeatur; si decoctum *concentratum* requiritur, duplum, et, si *concentratissimum*, quadruplum substantiæ coquendæ sumatur. Vasa, in quibus parantur decocta, aut sint figulina aut stannea aut cuprea stanno obducta; si acida aut alcalina decoctis insunt, vasa modo porcellanea adhibeantur. Fervida colanda sunt decocta, dum colum bene respicias, ut mundum sit neque odore alieno imbutum. Decocta colata vitris, in quibus dispensantur, quam calide fieri potest, immittantur.

Infusa. Hæc operatio ita instituitur, ut aqua fervida partibus extrahendis infundatur, quæ mixtio in locum mediæ temperaturæ seponatur, donec temperaturam loci, in quem seposita est, obtinuerit. Frigida ergo colanda sunt infusa. Ratione copiæ partis extrahendæ et aquæ adhibendæ idem valet, quod de decoctis dictum est. Vasa huic operationi inservientia optime e stanno conficiuntur atque operculis bene tegentibus instructa esse debent. Infusa frigida operatione, „Deplacement" quæ vocatur, optime perficiuntur. Substantia pulverata cylindro apparatus immissa, tanta aquæ copia infundatur, quanta ad partem infusi sufficientem obtinendam requiritur.

Olea ætherea. Quum oxygenium aëris et lux magnam vim in olea ætherea exerceant et indolem resinosam iis tribuant, vitris epistomiis bene claudentibus serventur aut charta nigra velatis aut in locum obscurum sepositis.

Tincturæ. Quod attinet ad digestionem tincturarum, hæc per triduum calore **30°—36°** C. nisi aliter præscriptum

est, fiat. Peracta digestione, facta expressione et filtratione, quævis spiritus adhibiti libra uncias decem tincturæ efficiat; si pondus minus est, spiritus ad hoc implendum addatur.

Regulæ speciales inter dispensationem medicamentorum in officinis sequendæ.

1. Ad præscriptum medici omnia medicamenta distincte et accurate parentur, neque unquam quidquam sponte addat pharmacopola, ut eo aut colorem pulchriorem aut saporem gratiorem aut vim majorem obtineat medicamentum.

2. Si idem medicamentum et crudum et depuratum in officinis prostat, atque medicus medicamentum simpliciter præscribit, pharmacopola depuratum dispenset.

3. Etsi extractum normalis consistentiæ dispensandum est, si medicus extractum simpliciter præscribit, tamen, si pulveri facile humescenti admiscendum est extractum, liceat pharmacopolis siccatum adhibere, tunc autem non nisi dodrans partis præscriptæ sumatur.

4. Quod attinet ad pilulas, massa, ex qua formari possunt, in officinis nunquam præsto sit. Si ad formulas magistrales pilulæ parantur, observandum est, quod si iis immiscenda sunt asa foetida, ammoniacum, galbanum, sagapenum, neque medicus horum pulverisationem præscripsit, hæc depurata esse sumenda. Idem valet de sapone, qui forma pulveris in usum pilularum semper est adhibendus. Si accidat, ut medicus in formula pilularum majorem copiam extractorum, quam ad massam justam efficiendam sufficit, præscripserit, pro extracto pulvis respectivæ substantiæ nunquam sumatur, sed extractum aut extracta commixta, majori copia sumta, ad eam consistentiam evaporanda sunt, ut e miscela omnium ingredientium pilulæ apte formari possint; si nimis parvam extracti

partem præscripsit medicus, paucæ aquæ aut spiritus guttæ addantur. In formula medici tunc a dispensatore notandum est, quanta pars extractorum normalis consistentiæ necessaria fuerit, ut massa pilularis inde obtineri posset. Nunquam ex arbitrio aliquid, licet innocuum, pilulis addat pharmacopola. Nisi medicus aliud præscripsit, pilulæ pondus granorum duorum habeant, quas ad conspergendas lycopodium adhibeatur.

5. Pulveres facile humescentes aut volatiles in vitris bene clausis aut, si minor pars, ut singula dosis, præscribitur, in charta cerata dispensentur.

6. Medicamenta in usum internum adhibenda signatura chartæ albæ, quæ usui externo inserviunt, signatura chartæ coeruleæ prædita dispensentur.

TABULA

doses medicaminum heroicorum maximas exhibens.

Acidum hydrocyanicum	Gutta una.
— muriaticum dilutum	Guttæ triginta.
— nitricum	— viginti.
— sulphuricum dilutum	— triginta.
Aqua Amygdalarum amararum conc.	— sexaginta.
— Laurocerasi	— sexaginta.
Argentum nitricum	Granum dimidium.
Arsenici Liquor	Guttæ decem.
Aurum muriaticum natronatum	Granum unum.
Belladonnæ Herba pulverata	Grana quatuor.
— Radix pulverata	— quatuor.
— Extractum	— duo.

Cantharidum Tinctura simplex	Guttæ quadraginta.
— — concentrata. . . .	— decem.
Colocynthidis Tinctura	— viginti.
Crotonis Oleum	Gutta una.
Cuprum sulphuricum	Grana viginti.
— — ammoniatum	— duo.
Digitalis purpureæ Herba pulv.	— quinque.
— — Tinctura	Guttæ triginta.
Gummi Guttæ.	Grana duodecim.
Hellebori albi Radix pulverata.	— decem.
— nigri Radix pulverata	— viginti.
Hydrargyrum jodatum	Granum dimidium.
— bijodatum	— dimidium.
— muriaticum corrosivum . .	— dimidium.
— — mite.	Grana viginti.
— oxydatum rubrum	Granum dimidium.
— oxydulatum nigrum	Grana quatuor.
— nitrici Liquor	Guttæ tres.
Jodii Tinctura	Guttæ viginti.
Ipecacuanhæ Radix pulverata	Grana triginta.
— Pulvis compositus	— quadraginta.
Morphium	Granum dimidium.
— aceticum	— dimidium.
Nucum vomicarum Pulvis	Grana decem.
— — Extractum	— duo.
— — Tinctura	Guttæ quadraginta.
Opii Pulvis	Grana quatuor.
— Extractum	— quinque.
— Tinctura crocata.	Guttæ quadraginta.
— — simplex et spirituosa . . .	— octoginta.
Plumbum aceticum	Grana duo.
Sabinæ Herba pulverata	— viginti.
Scammonium	— decem.

Scillæ Radix pulverata	Grana tria.
Secale cornutum	— viginti.
Strammonii Herba pulverata	— quatuor
— Semina	— quatuor.
— Extractum	— duo.
— Tinctura	Guttæ viginti.
Strychninum	Grani qvadrans.
— nitricum	— qvadrans.
Tartarus stibiatus	Grana sex.
Zincum sulphuricum	— decem.

Nota. Si medicus dosin majorem quam in hac tabula allatam præscribit, rogamus, ut præter solita signa et numerum dosis, hanc literis quoque significet.

MATERIA PHARMACEUTICA.

PARS PRIOR,

CONTINENS MEDICAMENTA SIMPLICIA ET PRÆPARATA, QUÆ EXTRA PHARMACOPOLIA VENALIA SUNT.

☐ Acetum vini, *Viin-Eddike.*

Plerumque in officinis peculiaribus e liquoribus vinosis, fermentationi acidæ subjectis, paratum. Optimum fit ex ipso vino.

Sit sincerum, gustu et odore gratum, et tantæ aciditatis, ut unciæ ~~duæ~~ sufficiant ad kali carbonici drachmam perfecte faturandam. Adulteratio, acido sulphurico effecta, detegitur, si adjecta baryta muriatica progignitur baryta sulphurica, in acido nitrico diluto haud solubilis. Acrimonia, ope vegetabilium acrium fraudulenter conciliata, detegitur, quando acetum cum kali aut natro saturatur, et liquor ad labia admovetur.

☐ Acidum pyrolignosum crudum, *raa sveden Træsyre.*

E lignis variis, præsertim durioribus, in officinis chemicis destillatione sicca paratum acetum, partibus empyreumaticis commixtum, fuscescens; odore empyreumatico; sapore acido. Habeat saltem aciditatem aceti vini crudi.

☐ Acidum succinicum crudum, *raa Ravsyre.*

In officinis chemicis sicca succini destillatione paratum. Crystallos format subcohærentes, flavescentes, odoris olei succini, saporis acidi bituminosi, in aquæ viginti partibus, relicto oleo, in spiritus vini rectificatissimi duabus partibus solubiles.

Cum calcaria usta tritum ammonii odorem evolvere haud debet.

††† □ **Acidum sulphuricum crudum, s. Oleum Vitrioli,** *Svovelsyre, Vitriololie.*

Præparatum officinarum chemicarum, cujus duæ sunt species venales: 1) *Acidum sulphuricum s. Oleum vitrioli anglicum, engelsk Svovelsyre*, combustione sulphuris et nitri in receptaculis magnis e plumbo confectis, aere atmosphærico repletis, obtentum; liquorem exhibens consistentiæ suboleosæ, peracidum, corrosivum, decolorem vel leviter fuscum, non fumantem, cum aqua autem valde incalescentem. 2) *Acidum sulphuricum fumans s. Oleum vitrioli saxonicum, rygende, sachsisk, nordhausisk Svovelsyre*, destillatione sicca ferri sulphurici usti obtentum, liquorem exhibens oleo vitrioli anglico similem, sed magis acido-causticum, plerumque fuscum, vel fuscescentem, et aeris aditu nebulas griseo-albas, acidulas facile emittentem.

Acidum sulphuricum anglicum sit pond. specif. 1,84—1,85; *acid. sulphuricum fumans* pond. specif. 1,86—1,9. Acidum anglicum haud sit adulteratum cum plumbo aut, quod rarissime occurrit, cum arsenico, quod dignoscitur, prævia dilutione acidi cum aqua facta, ope ammonii hydrosulphurati, quo color fuscus aut flavus gignitur. *Acidum fumans* haud inquinatum sit ferro admixto, quod detegitur liquore kali ferreo-borussici, quo præcipitatum coeruleum oritur.

††† □ **Aerugo, Viride Aeris,** *Spanskgrönt.*

Cuprum aceticum, cupro carbonico junctum, e cupri corrosione vinaceis fermentantibus, præsertim in Gallia, paratum.

Sit solidum, siccum, e viridi coerulescens, sine maculis atris, et in aceto sine residuo fere solubile.

Agaricus albus, *Lærkesvamp.*

Boletus Laricis, fungus (Cryptogamia), in truncis annosis *Pini Laricis*, arboris Europæ australis, obvius, a pugni ad capitis humani magnitudinem; suberosus, tubulis subtilissimis infra instructus; extus in tenera ætate albus, intus

albo-lutescens, siccatus cinereus; levis, subfragilis; saporis amaricantis, subdulcis, acris.

☐ **Agaricus Chirurgorum, Fungus quernus,** *Fyrsvamp.*

Boletus igniarius, (Cryptogamia), fungus in quercubus, fagis, betulis, pinis cet. crescens, supra corticatus et flavofuscus, infra porosus et pallidior; inodorus et insipidus; mensibus Augusti et Septembris colligendus et decorticatione, maceratione in aqua et malleatione præparandus.

☐ **Aloe,** *Aloe.*

Aloes spicatæ, A. vulgaris, A. succotrinæ aliarumque *Aloes* specierum (Asphodeleæ, Hexandria), in promontorio Bonæ Spei et America meridionali crescentium, foliorum succus inspissatus. Optima ejus species est *A. succotrina* (lucida), frusta formans irregularia, splendentia, friabilia; colore obscure viridescente-fusco; odore aromatico, submyrrhino; sapore peramaro, nauseoso; in spiritu vini penitus, in aqua frigida maxima e parte solubilia.

☐ **Alumen crudum s. vulgare,** *Alun.*

Sal duplex acidus e kali sulphurico et alumina sulphurica copiosaque crystallisationis aqua constans, plerumque in frustis crystallinis columnas aciculatas imitantibus occurrens, crystallos vero decolores, pellucidas, regulariter octaëdricas formans, sapore subdulci austero-styptico, aeri expositus prope fatiscens, in aqua calida facillime solubilis. Advehitur ex Anglia, Italia et Germania.

Sit album et pellucidum nec ferro inquinatum.

☐ **Ammonium carbonicum crudum,** *raat kulsyret Ammoniak.*

Sal, qui in officinis chemicis præparatur aut sublimatione salis ammoniaci et cretæ, aut depuratione liquoris, qui e partibus

animalium destillatione obtinetur, in crystallis occurrit cohærentibus, compactis, friabilibus, albis, superficie mox pulverulentis, in aere tandem plane fatiscentibus, odore peculiari insignibus, fauces et nares valde irritantibus, in igne plane avolantibus, in aquæ partibus duabus solubilibus.

☐ **Ammonium carbonicum pyro-oleosum seu Sal volatilis cornu cervi,** *Hjortetak-Salt.*

Sal, qui in officinis chemicis destillatione sicca et sublimatione ossium vel aliarum partium animalium paratur, in crystallis cohærentibus friabilibus, albis vel flavescentibus, odoris et saporis ammonii et olei empyreumatici, in igne plane avolantibus, in aquæ partibus duabus solubilibus occurrit.

☐ **Ammoniacum,** vulgo **Gummi Ammoniacum,** *Ammoniak-Gummi.*

Dorematis Ammoniaci (Umbelliferæ, Pentandria), Asiæ et Africæ incolæ, succus lacteus gummeo-resinosus, qui aere induratus grana flava, intus albida plerumque inter se conglutinata (*A. in granis*), aut massam fuscam vel brunneam, granulis albidis amygdalinis intermixtam (*A. in placentis*) format; in frigore durus et fragilis, digitis agitatus mollescens; odoris alliacei et saporis amaro-nauseosi, subacris. Advehitur ex Abyssinia, Lybia, Ægypto meridionali et præsertim e Barca Africæ, deserto.

Optimum occurrit in granis vel in massis læte fuscis, quibus multa grana amygdalina seu ungues, qui dicuntur, inhærent. Massæ autem nigrofuscæ, molliores, admodum tenaces, quisquiliis extraneis intermixtæ, rejiciendæ.

☐ **Ammonium muriaticum, Sal ammoniacum,** *Salmiak.*

Sal ex acido muriatico et ammonio constans, qui in variis Europæ regionibus diversis modis paratur: *germanus* forma

conorum instar sacchari; *anglicus* in placentis magnis, concavo-convexis, crystallinis; sapore ingrato salino, urinoso; in aere constans, caloris ope omnino avolans.

☐ **Amygdalæ,** *Mandler.*

Amygdali communis (Rosaceæ, Icosandria), arboris Orientis, in Europa meridionali cultæ, semina.

Amygdalarum dulcium nuclei majores, sapore dulci.

Amygdalarum amararum nuclei minores, sapore subamaro, principio narcotico proprio præditi.

☐ **Amylum,** *Meelstof, Stivelse.*

Paratur e cerealium seminibus, præsertim variarum *Tritici (hyberni, turgidi)* (Gramineæ, Triandria), e tuberibus *Solani tuberosi* (Solaneæ, Pentandria) cet. dum subsidet post elutionem principii glutinosi et saccharini ope aquæ frigidæ. Est pulvis subtilissimus, albus, insipidus, aquam frigidam respuens, cum ea autem coctus pultem viscidam sistens.

Amylum Marantæ, *vestindisk Salep.*

E tuberibus *Marantæ arundinaceæ, M. indicæ* aliarumque *Marantæ* specierum (Scitamineæ, Monandria), plantarum perennium Indiæ occidentalis, præsertim Jamaicæ, paratum amylum, pulverem exhibens subtilissimum, albissimum, in aqua frigida et alcohole haud solubilem, sed cum aqua fervida gelatinam inodoram formantem.

☐ **Antimonium crudum** s. **Stibium sulphuratum nigrum,** *raa Spydglands, Svovel-Spydglands.*

Minera metallica, e sulphure et antimonio constans, in montibus primitivis et transitivis Germaniæ, Galliæ et Hungariæ præsertim obvia, per eliquationem in vasis clausis a matrice purgata, et crystallis acicularibus, nitentibus conspicua.

□ **Aqua,** *Vand.*

Liquor notissimus e fontibus, rivulis aut fluviis.

□ **Argentum,** *Sölv.*

Metallum album, ductile, in acido nitrico solubile, cum chloro connubium insolubile contrahens.

Argentum foliatum, *Blad-Sölv.*

Argentum in lamellas tenuissimas ductum.

□ ††† **Arsenicum album,** *Rottekrudt.*

Arsenicum oxydulatum, e mineris arsenici, cobalti et aliis sublimando paratum; massam scoriformem, compactam, albam, initio subpellucidam, postea opacam, in aqua solubilem, in igne fumi instar avolantem, odorem alliaceum spargentem, referens. Venenum vehementissimum.

□ **Asa foetida,** *Dyvelsdræk.*

Ferulæ Asæ foetidæ (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ perennis Persiæ, e radice resecta obtentus succus lacteus, gummeo-resinosus, contactu aeris in grumos vel flavescentes vel e fusco roseos, tenaces mutatus; odoris foetidissimi, alliacei; saporis acris, amaricantis.

Optima sit odore gravissimo, ceræ consistentia, plurimisque massulis albescentibus, luteis, roseis prædita; fusco-nigrescens, odore debiliori, alieno, quisquiliis inquinata, rejicienda.]

Asphaltum s. Bitumen iudaicum, *Jöde-Beeg.*

Bitumen solidum, in mari mortuo Judææ aliisque Asiæ et insularum quarumdam Archipelagi occidentalis lacubus innatans (*optimum*), uti et in quibusdam Europæ montium fodinis occurrens (*vulgare*), ex fusco nigrum; friabile et fractura nitens; accensum odoris ingrati. Destillatione *Oleum*

Asphalti obtinetur, liquor atro brunneus; odore empyreumatico; sapore acri.

Aurum, *Guld.*

Metallum flavum, solummodo in aqua regia solubile.

Aurum foliatum, *Blad-Guld.*

Aurum in lamellas tenuissimas ductum.

Sit plane liberum cupro, quod colore coeruleo, quem liquor supernatans post præcipitationem auri e solutione in aqua regia facta ope liquoris ammonii caustici monstrat, detegitur.

☐ **Axungia Porci,** *Svine-Fedt.*

Pinguedo e mesenterio *Suis Scrophæ* (Mammiferæ, Pachydermata) partibus membranaceo-cellulosis lenis caloris ope privata et aqua bene elota.

Sit nivea, unguenti consistentia, homogenea, odoris plane expers.

☐ **Baccæ Juniperi,** *Enebær.*

Juniperi communis (Coniferæ, Dioecia), fruticis Europæ borealis, baccæ, nigræ, odoris sat gravis; pulpa subamara dulci, oleo æthereo graveolente sociata, repletæ.

Baccæ Lauri, *Laurbær.*

Lauri nobilis (Laurineæ, Enneandria), arboris Asiæ et Europæ meridionalis, baccæ nigricantes, oleosæ, odoris aromatici.

Baccæ Mori nigræ, *Morbær.*

Mori nigræ (Urticeæ, Monoecia), arboris persicæ originis, apud nos cultæ, fructus aggregati bacciformes, nigri, splendentes; odoris proprii grati; saporis gratissimi, acido-dulcis.

☐ **Baccæ Ribium,** *Ribs.*

Ribis rubri (Grossularieæ, Pentandria), fruticis Germaniæ,

in hortis culti, fructus recentes rubri vel albi, succo acido-dulci repleti.

☐ **Baccæ Rubi idæi,** *Hindbær.*

Rubi idæi (Rosaceæ, Icosandria), fruticis indigeni, fructus rubri vel pallide lutei, ex acinis succulentis subrotundis constructi; odore fragrante, gratissimo; sapore acidulo-dulci.

☐ **Baccæ Rubi fruticosi,** *Brombær.*

Rubi fruticosi (Rosaceæ, Icosandria), fruticis apud nos frequentis, fructus recentes obscure rubri, ex acinis succulentis constructi; odore debili; sapore acidulo.

☐ **Baccæ Sambuci,** *Hyldebær.*

Sambuci nigræ (Caprifoliaceæ, Pentandria), fruticis vel arboris indigenæ, fructus globosi, nigri, nitentes, succulenti; odore levi, ingrato; sapore acidulo-subdulci, amariusculo.

☐ **Balsamum Copaivæ,** *Copaiva-Balsam.*

Copaiferæ multijugæ aliarumque *Copaiferæ* specierum (Leguminosæ, Decandria), arborum Indiæ occidentalis et Americæ meridionalis, præsertim Brasiliæ, liquor oleoso-resinosus e trunco vulnerato stillans; pellucidus, flavescens; syrupi consistentia; in alcohole vini, æthere et oleis penitus solubilis; odoris fragrantis; saporis subacris, amari.

Balfamum sit genuinum, neque terebinthina neque oleo pingui adulteratum; prior, si balsamum ferro candenti inspergitur, odore proprio sese prodit; posterius, balsamo in spiritu vini soluto, in fundo remanet.

☐ **Balsamum peruvianum s. indicum nigrum,** *sort peruviansk Balsam.*

Myroxyli peruiferi (Leguminosæ, Decandria), arboris Americæ meridionalis, præsertim Peru et Novæ Granadæ frequentis, liquor oleosus, acidum benzoicum continens, ustione

vel sicca destillatione per descensum e ramulis obtentus; syrupi consistentia; nigro-rubens; odoris suavissimi, vanillæ affinis; saporis acris-aromatici, amariusculi; in spiritu vini fere omnino solubilis, connubium cum oleis pinguibus plane respuens.

Balsamum sit limpidum, aqua ponderosius, destillatione cum aqua oleum æthereum non edens.

Baryta sulphurica nativa s. Spathum ponderosum, *Tungspath.*

Minera in metallifodinis Hercyniæ, Saxoniæ aliisque terris occurrens.

Eligantur frustula alba, lamellosa, heterogeneis minus inquinata.

☐ **Benzoe s. Asa dulcis,** *Benzoe.*

Styracis Benzoin (Styraceæ, Decandria), arboris Indiæ orientalis, præsertim in Sumatra et in Java frequentis, resina, acidum proprium volatile continens, sponte vel incisione e cortice trunci et ramorum exsudans, aereque indurata, placentas seu frusta irregularia formans, variæ magnitudinis, luteo-fusca, opaca, frustulis albidis, diaphanis, fractura splendentibus plus minus intermixta, solida, friabilia; odoris pergrati; saporis primum subdulcis, postea acris.

Frusta obscure fusca, porosa, granis amygdalinis carentia, ligno corticeque admodum intermixta, rejicienda.

☐ **Bismuthum s. Marcasita,** *Bismuth.*

Metallum subrubicundum, fragilissimum, splendens, lamellis compositum, in montibus primitivis et transitivis eliquatione e mineris obtentum; leni igni admotum liquescit, fortiori autem avolat.

Bolus armena, *armenisk Bolus.*

Argilla ex luteo rubra, ferro oxydato abundans; tactu pinguis, digitos inquinans; frusta amorpha formans; olim ex Oriente

advecta, hodie etiam in Gallia, Germania, Bohemia, Hungaria obvia.

□ **Borax,** *Borax.*

Sal nativum, crudum, nomine *Tinkal*, ex acido boracico, natro et dimidia circiter parte aquæ crystallisationis constans, quod ex Asia advehitur et in officinis chemicis depuratum nomine *Boracis* insignitur.

Sit album, leni igne tumescens, fortiore facile vitrescens; cum acidis non effervescat, et solutum affuso liquore kali subcarbonici nullum præcipitatum demittat.

□ **Butyrum,** *Smör.*

Propria lactis vaccini præparatione obtenta pinguedo, unguenti consistentia; flavescens; odore peculiari; sapore miti.

Ad usum pharmaceuticum sit recens, non salitum, odoris et saporis rancidi expers.

□ **Cacao,** *Cacao-Bönner.*

Theobromæ Cacao (Byttneriaceæ, Polyadelphia), arboris Americæ meridionalis, semina ovato-oblonga, compressa, e fusco nigricantia; oleo pingui mitique turgida; saporis subamari, grati.

□ **Calx s. Calcaria,** *Kalk.*

Terra propria acido carbonico juncta; quo amisso, in aquæ partibus quingentis solubilis fit et *calx viva* vocatur. Paratur calx viva calcinatione lapidis calcarii, concharum marinarum, testarum ostrearum cet.

Eligatur heterogeneis libera, qualem præbent marmor album, testæ ostrearum cet.

□ **Calx muriatica, Sal ammoniacum fixum,** *saltsyret Kalk, Chlor-Calcium.*

Sal e calcio et chloro constans, qui præparatione ammonii e sale ammoniaco et calce obtinetur et pulverem album,

saporis amari, ingrati, in aere facile deliquescentem, in aqua et spiritu vini solubilem, exhibet.

☐ **Camphora,** *Campher.*

Lauri Camphoræ (Laurineæ, Enneandria), arboris Chinæ et Japoniæ, substantia peculiaris nitida, subpellucida, aqua levior, pinguiuscula, omnino volatilis; odoris proprii, fragrantissimi; saporis acri-aromatici; in spiritu vini ex toto solubilis, super ignem liquata olei instar fluens et accensa omnino deflagrans. Obtinetur destillatione radicis, ligni et ramulorum, aquæ ope facta. Cruda, frusta irregularia grysea exhibens, ex India advecta, nova sublimatione in phialis vitreis ope calcis vivæ in officinis Europæ chemicis depurata, in massis orbiculatis, albissimis, superne convexis, infra concavis, concrescit.

Cum ocissime in auras avolat, in vasis bene clausis servanda est.

☐ ††† **Cantharides,** *Spanskefluer.*

Meloe vesicatorius s. Lytta vesicatoria. Insecta coleoptera oblonga; viridia vel aureo-viridia, splendentia; antennis nigris filiformibus instructa; odoris penetrantis, ingrati; principio acri vesicante prædita; in regionibus calidioribus, Hispania, Gallia cet. abundantia; mensibus Junio-Augusto, dum fraxinum, ligustrum, syringam aliasque arbores vel frutices gregarie depascunt, ante ortum solis colligenda et ope vaporum aquæ calidorum, melius paululo olei terebinthinæ, necanda; celeriter sed leniter siccanda, atque in vasis optime clausis asservanda.

Præferuntur minores cantharides, non ultra perpauca grana ponderantes, recentes, integræ; quæ ab larvis corrosæ sunt et pulveratæ rejiciendæ.

☐ **Capita Papaveris albi,** *Valmue-Hoveder.*

Papaveris somniferi (Papaveraceæ, Polyandria), plantæ orientalis, apud nos cultæ, capsulæ non plane maturæ, siccatæ.

Renoventur quovis anno.

☐ **Carbo ligni,** *Trækul.*

E ligno fagi, pini, tiliæ aliarumque arborum indigenarum in struibus lignorum carbonariis paratur. Est nigerrimus, opacus, compactus, asper, friabilis.

☐ **Cardamomum minus,** *Cardamomme.*

Alpiniæ Cardamomi (Scitamineæ, Monandria), arboris Indiæ orientalis, fructus capsulares obtuse triquetri; fragiles; membranacei, striati, albidi; seminibus parvis, rugosis, angulatis, subnigris, odore fragrante gratissimo, sapore intense aromatico præditis, repleti.

Semina in capsulis emenda et asservanda; maxime aromatica sint; pallida parumque odora rejicienda.

☐ **Caricæ s. Ficus passæ,** *Figener.*

Fici Caricæ (Urticeæ, Monoecia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, receptacula fructificationis succulenta, pulposa, principio saccharino et mucilaginoso imbuta, semina includentia; odore peculiari; sapore grate dulci.

Eligantur orientales, pingues i. e. recentes, valde carnosæ, molles, dulcissimæ.

☐ **Caro vitulina,** *Kalvekjöd.*

Caro junioris *Bovis Tauri,* animalis ruminantis.

☐ **Caryophylli aromatici,** *Nelliker.*

Caryophylli aromatici (Myrtaceæ, Icosandria), arboris Indiæ orientalis, præcipue insularum Moluccarum flores nondum evoluti, obscure rubro-fusci, claviculis forma similes, oleo æthereo abundantes, odoris fragrantissimi, saporis acris, summe aromatici.

Sint ponderosi, maxime odori; triti oleum exsudent; pallidi vero, corrugati, parum aromatici rejiciendi.

Caryophylli ad maturitatem usque in arbore relicti *Antophylli* dicuntur.

☐ **Castoreum,** *Bævergeil.*

Castoris Fiberis (Mammalia, Glires), animalis Europæ, Asiæ et Americæ mediæ borealisque ripas fluvium et paludum inhabitantis, substantia animalis subfusca; recens molliuscula, exsiccata friabilis; membranulis tenuioribus intertexta; odoris proprie nauseosi; saporis amaricantis, subacris; in propriis folliculis abdomini inter anum et genitalia adnatis contenta.

Castoreum sibiricum s. russicum, cui etiam polonicum, borussicum et germanicum adnumeratur, in folliculis magnitudine ovi gallinacei et quod excedit, *Castoreo canadensi s. anglico,* quod vocatur, in folliculis minoribus, magis corrugatis, oblongis, tenuioribus, longe præferendum. Folliculi sint turgidi, ponderosi, glabri, cuti crassiuscula præditi, sicci, non corrugati, descripti odoris et saporis.

Catechu, vulgo **Terra japonica,** *Catechu.*

Acaciæ Catechu aliarumque specierum *Acaciæ* (Leguminosæ, Monadelphia), arborum Indiæ orientalis, (uti et *plantarum aliarum adstringentium*) ligni vel, ut alii prætendunt, nucleorum extractum inspissatum; fragile, fractura nitens; e nigro et luteo fuscum; odoris nullius; saporis adstringentis, subdulcis.

☐ **Cera,** *Vox.*

Substantia vegetabili-animalis propriæ indolis, tenax, ab *Apibus mellificis,* insectis notissimis (Hymenopteris), e florum staminibus collecta et elaborata; *flava* solummodo e favis liquata; *alba* per apricationem hujus inter frequentem aquæ adspersionem vel ope chlori aquosi albata.

Sit consistentia duriori, tactu non pinguis, odoris saporisque haud ingrati, leni calore liquescens et liquata liquorem limpidum exhibens.

☐ **Cerasa acida,** *sure Kirsebær.*

Pruni Cerasi (Rosaceæ, Icosandria), arboris notissimæ, drupæ nigræ, grate acidæ.

□ **Cerussa alba,** *Blyhvidt.*

Plumbum carbonicum, e plumbo metallico, vaporibus aceti corroso, paratum, vel in conis obtusis, fracturæ minutim granulosæ, porosæ, impolitæ (*C. veneta, hollandica*); vel in laminis texturæ compactioris, fracturæ lamellosæ (*C. anglica*) occurrens; facile pulverandum.

Sit coloris albissimi et ponderosa; carbonibus imposita igne tubi ferruminatorii in plumbum sine scoria terrea reducatur; in acido nitrico facile sub effervescentia plane solvatur (alias baryta sulphurica adulterata est), quæ solutio, post factam præcipitationem plumbi ope liquoris ammonii caustici, affuso liquore kali oxalici non turbetur (alias creta vel gypsum cerussæ immixtum fuit).

□ **Cinis Fagi,** *Böge-Aske.*

Obtinetur combustione ramorum *Fagi sylvaticæ* (Amentaceæ, Monoecia), arboris indigenæ.

Cinnabaris, *Cinnober.*

Nativa reperitur in montibus antiquioribus; artificialis autem plerumque paratur in officinis chemicis sublimatione mixtionis ex sulphuris parte una et hydrargyri partibus sex.

Clavelli Cinnamomi s. Flores Cassiæ, *Caneel-Blomster.*

Lauri Cassiæ vel Lauri Cinnamomi (Laurineæ, Enneandria), fruticis vel arboris Chinæ, fructus immaturi; forma clavi minoris, obscure fusci, rugosi; capitulo subcomplanato apice perforato, piperis magnitudine, odoris et saporis cinnamomei.

Coccinella, *Cochenille.*

Femellæ siccatæ *Cocci Cacti*, insecta hemiptera parva, in regno mexicano *Cactum coccinelliferam* inhabitantia, granula referentia atro-purpurea, striis transversis rugosa, succum purpureum continentia.

□ **Colcothar Vitrioli s. Caput mortuum Vitrioli,** *engelsk Rödt, Bruunrödt.*

Est ferrum oxydatum, cum aliqua ferri vitrioli parte mixtum,

quod ustione hujus salis, præparatione igitur acidi sulphurici saxonici et aquæ fortis, obtinetur. Est pulvis rubro-brunneus.

☐ **Colocynthides,** *Coloqvinter.*

Cucumeris Colocynthidis (Cucurbitaceæ, Monoecia), plantæ annuæ promontorii Bonæ Spei Orientisque, in Europa cultæ, fructus a cortice exteriore mundatus, pomi magnitudinis et figuræ; semina albicantia in pulpa alba, levi, spongiosa, amarissima includens.

☐ **Colophonium,** *Colophonium.*

Resina subdiaphana, super ignem liquata, consistentiam friabilem et colorem ex succineo aurantiacum nacta.

☐ **Conchæ,** *Östersskaller.*

Ostreæ edulis (Mollusci), testæ orbiculares, ab omni sorde depurandæ.

Cornu cervi, *Hjortetak.*

Cervi Elaphi (Ruminantia) cornu.

☐ **Cortices Aurantiorum,** *Pomerantsskaller.*

Citri Aurantii (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis atque Indiæ occidentalis et Americæ meridionalis, fructus maturi cortex, odore grate aromatico, sapore aromatico-amaro. *Cortices Aurantiorum curassavienses*, tenuiores, duriores, parte spongiosa minus præditi, colore externe obscuriori plerumque sordide viridi, meliores sunt.

Cortices pallidiores, vel nigro-maculati, mucidi vel parum aromatici rejiciendi.

Cortex Canellæ albæ s. Vinteranus spurius, *hvid Caneel.*

Canellæ albæ (Guttiferæ, Monadelphia), arboris Indiæ occidentalis, cortex internus, durus, magis minusve convolutus; 4-5 pollices longus, $\frac{3}{4}$ pollicis et ultra latus, ad lineam crassus;

extus ex grisco lutescens, intus albus; odoris nonnihil fragrantis; saporis aromatici, acris.

□ **Cortex Cascarillæ,** *Cascarille-Bark.*

Clutiæ s. Crotonis Eluteriæ (Euphorbiacēæ, Monoecia), fruticis Indiæ orientalis, cortex extus cinereus, intus ex fusco ferrugineus, fragilis, fractura nitens, odore debili-aromatico, sapore acri-aromatico.

Cortex caryophyllatus, *Nellike-Bark.*

Myrti caryophyllatæ (Myrtaceæ, Icosandria), arboris ceylonensis, cortex tenuis fragilisque, rubro-brunneus, odoris caryophyllorum, saporis aromatici, amariusculi.

□ **Cortex Chinæ s. peruvianus regius,** *Konge-China-Bark.*

Cinchonæ cordifoliæ aliarumque *Cinchonæ* specierum (Rubiaceæ, Pentandria), arborum Americæ meridionalis, præsertim terræ Peruanæ et Novæ Granadæ, in jugis alpinis et subalpinis crescentium, cortex, cinnamomeo-flavus, plerumque crassus, crusta exteriore partim vestitus partim privatus, fractura fibrosus; superficie interna lævi, principio amaro, subaromatico aliis Cinchonæ corticibus antecellens.

Sint frusta plana, ponderosa, colore cinnamomeo, sapore amarissimo. Decoctum aquosum refrigescens valde lactescat, filtratum addito sale mirabili Glauberi turbidum fiat, maximeque præcipitetur solutione alcalina et tinctura gallarum; addito autem liquore ferri muriatici oxydati colorem viridem induat.

□ **Cortex Chinæ s. peruvianus fuscus,** *bruun China-Bark.*

Cinchonæ Condamineæ s. officinalis s. lanceolatæ (vide cort. Chinæ regium) cortex convolutus, utplurimum longus, ex fusco-griseus, plerumque lichene albido vestitus, sulcis longitudinalibus prævalentibus, rimis transversalibus minimis, odoris submucidi, saporis ex amaro subaromatici.

Sit ponderosus, durus, saporis amari; decoctum aquosum, quamdiu calidum, brunneum clarumque sit, refrigescens autem valde turbidum fiat coloremque assumat luteo-fuscum, infuso coffeæ, lacte commixto, similem; filtratum limpidum pallide flavo-fuscescens, addita solutione alcalina vel tinctura gallarum valde albidum evadat, sed addita gelatina animali nonnihil tantum turbetur; addito ferro muriatico oxydato colorem obscure viridem minimeque coeruleo-nigrum acquiret. Frusta levia, tenuissima, parum sapida rejicienda.

Cortex Chinæ s. peruvianus ruber, *röd China-Bark.*

Cinchonæ magnifoliæ s. oblongifoliæ aliarumque *Cinchonæ* specierum (vide cort. Chinæ regium) cortex partim convolutus, tubulosus, partim canaliculatus, plerumque planus; nuper nominatis Chinæ corticibus crassior et ponderosior, brunneo-ruber, superficie externa sulcato-rugosa, superficie interna inæquali, fibroso-fissili, fragilior, fractura transversali fibrosa, in medio nitente; odore debiliter coriario; sapore aromatico-adstringente, peramaro.

Cortex chinæ ruber tam externe quam interne obscure rubro-brunneus, in frustis crassioribus occurrens, ponderosus, sapore valde amaro-adstringente, haud ingrato, optimus est. Minoris pretii sunt frusta levia, pallida. Decoctum calidum obscure sit fuscum, refrigescens valde lactescat, filtratum colore flavo-rufescente, minime rubro appareat. Cæterum ad reagentia eodem modo sese habeat, quo china regia.

☐ Cortex Cassiæ cinnamomeæ s. Cinnamomum indicum, *chinesisk, indisk Caneel.*

Cinnamomi aromatici s. Lauri Cassiæ (Laurineæ, Enneandria), arboris Chinæ, ramorum cortex interior, colore intensiore, crassitie et sapore acriori a sequenti distinguendus.

Nota. Nisi medicus verbis expressis corticem cinnamomi sequentem præscribat, hic dispensetur.

Cortex Cinnamomi acuti ceylonensis, *ceylonsk Caneel.*

Cinnamomi ceylanici s. Lauri Cinnamomi (Laurineæ, Enneandria), arboris ceylonensis, cortex interior, schedula lusoria vix crassior, in cannulis longis, convolutis occurrens, colore pallide

aureo-fuscescente; odore peculiari fragrantissimo; sapore aromatico dulci, suavissimo.

☐ **Cortex Citri,** *Citron-Skal.*

Citri medicæ (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, fructus cortex.

☐ **Cortex Mezerei,** *Kjelderhals-Bast.*

Daphnes Mezerei, aliarumque *Daphnes* specierum (Thymeleæ, Octandria), fruticum in Germania, Gallia et Hispania frequentium, cortex, e trunco et ramis validioribus colligendus; tenuis, striatus, subluteus, epidermide ex viridi fusca tectus; peracris.

☐ **Cortex nucis Juglandis viridis,** *grön Valnödde-Skal.*

Juglandis regiæ (Juglandeæ, Monoecia), arboris Orientis, apud nos cultæ, fructus cortex viridis, glaber, subcarnosus, siccatus fuscescens, saporis acris.

☐ **Cortex Quercus,** *Ege-Bark.*

Quercus pedunculatæ et *Q. sessiliflorae* (Amentaceæ, Monoecia), arborum indigenarum notissimarum, cortex, ex juniorum arbuscularum truncis colligendus, fragilis, externe cinereus, albescente lichene passim obsitus, glaber, intus albidus, inter siccandum celeriter fuscescens; inodorus; saporis amari, adstringentis.

☐ **Cortex Salicis,** *Pile-Bark.*

Salicis pentandræ, s. *fragilis* et plurium *Salicis* specierum (Amentaceæ, Dioecia), fruticum et arborum indigenarum, cortex, e ramis quadriennibus et annosioribus colligendus, tenuis, flexilis, extrorsum fuscus, sapore adstringente, amaro.

☐ **Cortex Sassafras,** *Sassafras-Bark.*

Lauri Sassafras (Laurineæ, Enneandria), arboris Americæ borealis, radicis cortex levis, spongiosus, fragilis, odoris et saporis aromatici.

Cortex Simarubæ, *Simarube-Bark.*

Simarubæ officinalis (Simarubeæ, Decandria), arboris, in India occidentali præsertim Guiana frequenter obviæ, cortex; fibrosus, levis, ex albo lutescens, in frustis longissimis occurrens; inodorus; sapore amarissimo.

Cortex Ulmi interior, *Elme-Bark.*

Ulmi campestris (Ulmaceæ, Pentandria), arboris indigenæ, cortex medius e ramis 3—4-ennibus colligendus, subfuscus, lamellis tenuibus compositus, inodorus, sapore austero-amariusculo.

☐ **Creta alba,** *hvidt Kridt.*

Minera, e calce et acido carbonico constans, montes stratificatos recentiores formans, et præsertim ad Daniæ, Galliæ, Angliæ oras occurrens.

Eligatur albissima; rejiciatur lutea et durior.

☐ **Crocus,** *Safran.*

Croci sativi (Irideæ, Triandria), plantæ perennis Orientis Europæque meridionalis, atque in iisdem regionibus cultæ, stigmata e floribus apertis resecta et caute siccanda; in tres lacinias cuneiformes fissa; colore saturate aurantiaco, odore fragrante, narcotico; sapore amaro-aromatico; masticatione salivam intense luteam tingentia.

Crocus corruptus, colore nigrescente vel pallido, paullulum aromaticus, salivam parum tingens, aut mucore tectus vel oleo pingui illitus, rejiciendus. Cave, ne intermixti sint flores Carthami tinctoriæ, Punicæ Granati cet, qui a croci forma, supra descripta, longe recedunt.

□ **Cubebæ s. Piper caudatum,** *Cubeber.*

Piperis Cubebæ (Piperaceæ, Diandria), fruticis scandentis Indiæ orientalis, fructus globosi, coloris cinerei, magnitudine et forma piperis, pedicello rigido instructi, odoris fragrantis, saporis aromatici, acris.

□ **Cuprum,** *Kobber.*

Metallum rufum, perdurum, ductile, quod in officinis metallariis e mineris cupri depuratione et reductione obtinetur.

□ ††† **Cuprum sulphuricum venale, s. Vitriolum coeruleum,** *Kobber-Vitriol, Blaa-Vitriol, Blaasteen.*

Sal e cupro et acido sulphurico constans plerumque in officinis metallariis e cupro sulphurato paratur. In crystallis aut frustis occurrit crystallinis, coeruleis, speciosis, diaphanis, aere lente fatiscentibus, dum in superficie pulvere viridi-albo obtegitur; in aquæ partibus duabus, in spiritu vini non solubilis.

Elemi, *Elemi.*

Amyridis ceylanicæ (Terebinthaceæ, Octandria), arboris Indiæ, et *Amyridis Elemiferæ*, arboris Americæ meridionalis, resina e trunco vulnerato liquide stillans, mox indurescens, ex albo lutea, subviridescens, odore terebinthaceo, foeniculino.

Ex Oriente allata, foliis arundinaceis sæpius involuta, americanæ antecellit.

□ **Euphorbium,** *Euphorbium.*

Euphorbiæ officinarum, E. antiquorum, E. canariensis et forsan plurium *Euphorbiæ* specierum (Euphorbiaceæ, Monoecia), fruticum aculeatorum Africæ meridionalis, succus gummeo-resinosus, planta vulnerata exsudatus, granula irregularia foraminibus perforata, opaca, colore fuscescente aut sordide

lutescente, formans; friabilis; inodorus, nisi prunis inspersus, ubi gratum exhalat odorem; sapore autem acerrimo, urente, nauseoso.

Fabæ Pichurim, *Pichurim-Bönner.*

Ocoteæ Puchury majoris et minoris (Laurineæ, Enneandria), arboris Americæ meridionalis, fructus nuclei oblongo-ovati, in duas partes divisi, altero latere convexi, altero plani vel concavi; extus obscure griseo-fusci, intus cinnamomei; odoris et saporis aromatici.

☐ **Farina Hordei,** *Byg-Meel.*

Hordei vulgaris, hexastichi aliarumque *Hordei* specierum, (Gramineæ, Triandria), seminum farina, pulverem album, subtilissimum, inodorum et prope insipidum exhibens.

☐ **Fel Tauri,** *Oxe-Galde.*

Bovis Tauri, animalis ruminantis notissimi secretum proprium hepatis flavo-viridescens, viscosum, odore peculiari nauseoso et sapore amaro.

Sit recentissimum.

☐ **Ferrum,** *Jern.*

Metallum e cinereo nigrescens, magneti obediens, quod e mineris ferreis in fornacibus metallariis obtinetur et in officinis ferreis depuratur.

☐ **Flores Arnicæ,** *Volverley-Blomster.*

Arnicæ montanæ (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis Germaniæ, Helvetiæ aliarumque Europæ regionum, etiam apud nos pluribus in locis crescentis, flores compositi, radiati, lutei, odore debili; digitis agitati sternutationem movent; sapore acri-aromatico.

Cave, ne flores Arnicæ confundas cum aliis floribus compositis flavis e.g. Inulæ dysentericæ, brittannicæ, salicinæ, Doronici Pardalianches et scorpioidis, Anthemidis tinctoriæ, Calendulæ officinalis et Scorzoneræ humilis.

Flores Aurantii s. Naphæ, *Pomerants-Blomster.*

Citri Aurantii (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, flores albi, succulenti, odore fragrantissimo, suavi, sapore subamaro, aromatico.

☐ **Flores Chamomillæ vulgaris,** *Chamille-Blomster.*

Matricariæ Chamomillæ (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ annuæ, indigenæ, flores compositi radiati, receptaculo conico nudo cavo; flosculis disci flavis, flosculis radiorum albis; odore forti, fragranti; sapore amaro.

Haud confundantur cum floribus Anthemidis arvensis aut Anthemidis Cotulæ, qui non solum majores, sed etiam inodori sunt neque sapore acri carent.

Flores Chamomillæ romanæ, *romerske Chamille-Blomster.*

Anthemidis nobilis (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis Europæ meridionalis, flores compositi, chamomillarum facie sed majores et plerumque plus minus pleni, disco luteo, ligulis albis intermixto; odore fragrante, aromatico; sapore aromatico, peramaro.

Flores Convallariæ majalis s. Liliorum convallium, *Lilie-convaller.*

Convallariæ majalis (Asparageæ, Hexandria), plantæ perennis, indigenæ, sylvestris, flores albi, odore gratissimo.

Flores Hyperici, *Perikom.*

Hyperici perforati (Hypericineæ, Polyadelphia), plantæ perennis, indigenæ, frequentissimæ, flores lutei; odore proprio; sapore amariusculo, subadstringenti.

☐ **Flores Lavendulæ,** *Lavendel-Blomster.*

Lavandulæ Spicæ et L. angustifoliæ (Labiatæ, Didynamia),

fruticuli Europæ meridionalis, apud nos in hortis culti, flores nondum evoluti, in spicam terminalem, verticillatam congesti; violacei; odoris aromatici, gratissimi.

☐ **Flores Malvæ arboreæ s. roseæ,** *Stokroser.*

Altheæ roseæ (Malvaceæ, Monadelphia), plantæ biennis et perennis orientalis, apud nos hortensis, flores magni atropurpurei; inodori; fere insipidi, mucilaginosi.

☐ **Flores Millefolii,** *Röllike-Blomster.*

Achilleæ Millefolii (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis, apud nos vulgaris, flores compositi, exigui, odore aromatico, sapore amaro, subacri.

☐ **Flores Papaveris Rhoeados,** *Kornvalmue-Blomster.*

Papaveris Rhoeados (Papaveraceæ, Polyandria), plantæ annuæ, indigenæ, petala rubra; odoris subnarcotici, saporis mucilaginosi, amariusculi.

☐ **Flores Rosarum incarnatarum s. pallidarum,** *hvide Roser, Haveroser.*

Rosæ centifoliæ (Rosaceæ, Icosandria), fruticis patriæ incertæ notissimi, in hortis frequentis, petala pallida, rubentia, odoris gratissimi, saporis subadstringentis.

☐ **Flores Rosarum rubrarum,** *röde Roser, Eddikeroser.*

Rosæ gallicæ s. damascenæ (Rosaceæ, Icosandria), fruticis Galliæ meridionalis, apud nos hortensis, petala rubra, ejusdem odoris et saporis, quo Rosa centifolia.

☐ **Flores Sambuci,** *Hylde-Blomster.*

Sambuci nigræ (Caprifoliaceæ, Pentandria), arboris indigenæ, cymæ florentes, floribus albo-lutescentibus, odore forti et ingrato, sapore nauseoso.

☐ **Flores Tanaceti,** *Reinfand-Blomster, Ormekrudt.*

Tanaceti vulgaris (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis, indigenæ, flores flosculis tubulosis flavis compositi; odore forti et aromatico, subnauseoso; sapore amaro.

☐ **Flores Tiliæ,** *Linde-Blomster.*

Tiliæ europeæ (Tiliaceæ, Polyandria), arboris indigenæ, flores albide lutescentes, unacum bracteis colligendi; odore grato; sapore dulcescente.

☐ **Flores Verbasci,** *Kongelys.*

Verbasci Thapsi (Solaneæ, Pentandria), plantæ biennis, apud nos frequentis, corollæ luteæ; odore subnarcortico, ingrato; sapore mucilaginoso, dulcescente.

☐ **Flores Violarum,** *Marts-Violer.*

Violæ odoratæ (Violaceæ, Pentandria), plantæ perennis, indigenæ, flores saturate violacei; odore suavissimo; sapore subdulci.

Cave, ne hos flores confundas cum floribus Violæ hirtæ et caninæ, qui inodori sunt.

Folia Aurantiorum, *Pomerants-Blade.*

Citri Aurantii (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, folia ovato-acuminata, glabra, petiolo alato, pellucido-punctato; odore grate-aromatico; sapore aromatico, subamaro.

Folia Bucco, *Bucco-Blade.*

Diosmæ crenatæ et D. serratifoliæ (Rutaceæ, Pentandria), fruticum promontorii Bonæ Spei, folia glabra, crenata, pallide-viridia, subtus glandulis elevatis, fuscescentibus punctata, jam lanceolata et tum longiora et angustiora (F. *Diosmæ serratifoliæ*), jam obovata et tum breviora et latiora (F. *Diosmæ crenatæ*); odore forti, aromatico; sapore aromatico.

Folia Laurocerasi, *Laurbærkirsebær-Blade.*

Pruni Laurocerasi (Rosaceæ, Icosandria), arboris Orientis, in hortis nostris cultæ, folia oblongo-ovata, nitida, coriacea; odore forti, amygdalino; sapore aromatico, amaro.

□ **Folia Sennæ,** *Sennes-Blade.*

Cassiæ lanceolatæ, C. Sennæ, C. acutifoliæ aliarumque *Cassiæ* specierum (Leguminosæ, Decandria), fruticum Ægypti superioris, Nubiæ, regni Tripolitani, folia lanceolato-ovalia, integerrima, e flavo viridia; longitudine semipollicari; odore debili, ingrato; sapore subacri, subnauseoso, amaricante.

Eligenda quæ Alexandria advehuntur. Sint pallide-viridia, neque tamen fusca, stipitibus crassioribus saltem et foliis *Cynanchi Arguel* liberata. *Folia sennæ parva* i. e. frustula foliorum fractorum, cribri ope separata, cum pulvere aliisque quisquiliis mixta, rejicienda. Cave etiam, ne intermixta sint folia *Coluteæ arborescentis*, quæ obovata et apice emarginata sunt, neque folia *Coriariæ myrtifoliæ*, quæ sunt majora, crassiora, triplinervia, fere coriacea, magis grysea.

□ **Folia Uvæ ursi,** *Meelbær-Blade.*

Arbuti Uvæ ursi (Ericeæ, Decandria), fruticuli indigeni, folia obovata, duriuscula, glabra, superne saturate-viridia, subtus pallidiora, reticulato-venosa, inodora, sapore adstringente.

Formicæ, *Myrer.*

Formica rufa, insectum hymenopterum, in silvis Europæ frequentissimum.

Viventes, ab quisquiliis bene mundatæ, solum adhibeantur.

□ **Fructus Capsici annui s. Piper hispanicum,** *Spansk Peber.*

Capsici annui (Solaneæ, Pentandria), plantæ annuæ utriusque Indiæ, in Europa meridionali ut etiam apud nos in

hortis cultæ, bacca carnoso-membranacea, oblonga, conica, nitida, coloris rubri, seminibus albis, compressis repleta; inodora; saporis piperei, acerrimi.

Fructus Prunorum, *Blommer.*

Pruni domesticæ (Rosaceæ, Icosandria), arboris Europæ australis, apud nos cultæ, drupæ oblongæ, nigrescentes, pulpa subdulci repletæ.

Fuligo, *Sod.*

Substantia carbonacea, nigra, odore ingrato, sapore salso, empyreumatico, sublimatione ex vegetabilibus incensis formata. Distinguuntur *Fuligo splendens* (Glands-Sod), massa compacta, nigra, splendens, friabilis, et *Fuligo Tedæ* (Könrög), pulvis levissimus, nigerrimus.

□ **Galbanum s. Gummi Galbanum,** *Galbanum-Gummi.*

Galbani officinalis (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ orientalis, succus gummeo-resinosus, aere in grumos luteo-albidos et fuscos indurescens; odore nauseoso, balsamico; sapore amaro, acri.

Galbanum purum in massis illi, quod in granis occurrit, haud postponendum est; sed galbanum nigro-fuscum, arena, stipitibus aliisque quisquiliis magnopere inquinatum, odore et sapore alieno, rejiciendum.

□ **Gallæ,** *Galæbler.*

Quercus infectoriæ aliarumque *Quercus* specierum (Amentaceæ, Monoecia), arborum orientalium, excrescentiæ, *Cynipis foliorum quercus* punctura productæ, ramis junioribus insidentes, globosæ, tuberculatæ, inodoræ, sapore adstringente.

Præferuntur e nigro coerulescentes, Aleppo et Smyrna allatæ. Sint ponderosæ, externe protuberantiis præditæ, intus densæ, neque perforatæ.

Gemmæ Populi, *Poppel-Knopper.*

Populi nigræ (Amentaceæ, Dioecia), arboris indigenæ, gemmæ juniores, nondum explicatæ.

☐ **Glandes Quercus,** *Agern, Olden.*

Quercus pedunculatæ et *Q. sessiliflorœ* (Amentaceæ, Monoecia), fructus maturi, oblongi, absque cupulis.

Grana Paradisi, *Paradiiskorn.*

Amomi grani paradisi (Scitamineæ, Monandria), plantæ perennis Indiæ orientalis, semina angulata, nitentia, extus fusco-rubra, intus alba; triturata odore grate aromatico; sapore aromatico, urente.

Graphites s. Plumbago, *Graphit, Blyant.*

Minerale in montibus primitivis passim obvium, e carboneo cum parva ferri quantitate mixto constans; plerumque massas squammoso-foliaceas, friabiles, inquinantes, tactu pingues exhibens; colore calybeo; inodorum; insipidum.

☐ **Gummi arabicum s. G. Mimosæ s. G. Acaciæ s. G. Senegal,** *Arabisk Gummi, Senegal-Gummi.*

Acaciæ veræ, A. tortilis, A. Seyal, A. arabicæ, A. Senegal, A. Ehrenbergianæ aliarumque *Acaciæ* specierum (Leguminosæ, Monadelphia), arborum in variis Africæ regionibus crescentium, succus gummosus, sponte exsudans et aere obdurescens, in frustulis subrotundis vel irregularibus, decoloribus, pellucidis, plus minusve flavescentibus, siccis, fragilibus, fractura splendentibus, aqua frigida penitus solubilibus, odoris nullius, occurrens.

☐ **Gummi Tragacanthæ,** *Traganth-Gummi.*

Astragali veri, A. gummiferi et forsitan aliarum *Astragali*

specierum (Leguminosæ, Diadelphia), fruticum Asiæ minoris, Armeniæ et Persiæ, succus gummosus exsudatus et aere induratus, in frustulis elongatis, multifarie contortis, albis, tenacibus, levibus, inodoris, cum aqua mucilaginem spissam formantibus, occurrens.

□ ††† **Gummi Guttæ,** *Gummigut.*

Stalagmitis Cambogioidis (Guttiferæ, Polyandria), arboris siamensis et ceylonensis, succus gummeo-resinosus ex foliis sive e ramulis diffractis, vel e cortice trunci vulnerato stillans et aere vel leni calore induratus, massam ex aureo flavam, fragilem, fractura nitentem, odoris nullius, saporis ex acri subdulcis, exhibens.

□ **Gypsum,** *Gips.*

Minerale, e calcaria et acido sulphurico constans, in variis regionibus obvium, lapidem albidum, igne fatiscentem, in aqua difficulter solubilem exhibens.

□ **Herba cum summitatibus Absinthii,** *Malurt.*

Artemisiæ Absinthii (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis, indigenæ, frequentissimæ, herba florens, floribus compositis, exiguis, subglobosis; pendulis; foliolis lobatis, tomento albo obsitis; odore aromatico, gravi; sapore peramaro.

□ **Herba Aconiti,** *Stormhat, Munkehætte.*

Aconiti Napelli, *A. neomontani* aliarumque forsan *Aconiti* specierum (Ranunculaceæ, Polyandria), plantarum perennium, in silvis et pratis montosis Germaniæ, Helvetiæ cet. frequentium, folia intense viridia, glabra, palmata vel quinquepartita, lobis dissectis; inodora, trita vero odorem spirantia nauseosum; sapore primum vix sensibili, paullatim in acerrimum, urentem transeunte.

Herba Altheæ, *Althea-Urt.*

Altheæ officinalis (Malvaceæ, Monadelphia), plantæ perennis Germaniæ et Galliæ, crebro cultæ, folia triangularia, tomento cinereo, mollissimo, tecta.

Herba Basilici, *Basilicum-Urt.*

Ocymi Basilici (Labiatæ, Didynamia), plantæ annuæ Indiæ orientalis, apud nos hortensis, herba ramosa, foliis ovato-acutis, integris, glabris, punctatis; attrita odorem gratissimum spargens.

□ ††† **Herba Belladonnæ,** *Belladonna-Urt.*

Atropæ Belladonnæ (Solaneæ, Pentandria), plantæ perennis Europæ meridionalis, in hortis medicis cultæ, herba, foliis magnis, petiolatis, integris, ovato-acutis, obscure viridibus, inodoris, sapore fatuo, amariusculo.

Herba Boraginis, *Boras-Urt.*

Boraginis officinalis (Boragineæ, Pentandria), plantæ originis orientalis, in hortis cultæ, herba, foliis magnis, partim petiolatis, partim sessilibus, oblongis, subcordatis, hispidis, superne saturate viridibus, subtus pallidioribus; odore debili cucumerino; sapore subsalso.

Herba Capillorum Veneris, *Fruehaar.*

Adianti Capilli Veneris (Filices, Cryptogamia), plantæ perennis in terris calidioribus Galliæ et Italiæ, herba, foliolis alternis, secundariis, cuneiformibus, lobatis, petiolatis.

□ **Herba Cardui benedicti,** *Korbendikt.*

Centaureæ benedictæ (Synantheræ Cynarocephalæ, Syngenesia), plantæ annuæ Europæ meridionalis, in hortis medicis cultæ, herba, foliis oblongis, sinuatis, hirsutis, recentibus

odorem ingratum spirantibus, siccatis inodoris, sapore subamaro, subsalso.

□ **Herba Centaurii minoris,** *Tusindgyldenurt.*

Erythrææ Centaurii (Gentianeæ, Pentandria), plantæ annuæ indigenæ, herba florens, floribus rubentibus, foliis ovatis, inodoris, saporis amarissimi.

□ **Herba Chelidonii majoris,** *stor Svaleurt.*

Chelidonii majoris (Papaveraceæ, Polyandria), plantæ perennis, indigenæ, frequentis, folia magna, tenuia, sinuata, glabra, saturate viridia, succo luteo, acri, repleta; odore ingrato; sapore amariusculo, acri.

□ **Herba Cochleariæ,** *Cochleare.*

Cochleariæ officinalis (Cruciferæ, Tetradynamia), plantæ biennis, indigenæ, herba florens succulenta, foliis radicalibus cordatis, caulinis oblongis, sinuatis, inter digitos tritis odorem fortem, pungentem spargentibus, sapore acri præditis.

Recens adhibenda.

□ ††† **Herba Conii maculati, s. Cicutæ terrestris,** *Skarntyde-Urt.*

Conii maculati (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ biennis indigenæ, herba obscure viridis, caule et ramis majoribus maculis purpureis adspersis, foliis compositis, foliolis lanceolatis incisis, glabris; odore proprio, ingrato; sapore nauseoso.

□ ††† **Herba Digitalis,** *Digitalis, röd Fingerbölle-Urt.*

Digitalis purpureæ (Personatæ, Didynamia), plantæ perennis, speciosæ, montanæ, Germaniæ et Helvetiæ, herba, foliis alternis, magnis, ovato-lanceolatis, margine serratis, rugosis, hirsutis; odore debili nauseoso; sapore amaro, nauseoso, subacri.

Colligenda ex plantis, in montosis sponte crescentibus; in hortis culta rejicienda.

□ **Herba Farfaræ,** *Hestehov, Hovblad, Föllefodurt.*

Tussilaginis Farfaræ (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis indigenæ, folia radicalia, longe petiolata, subcordato-angulata, dentata, subtomentosa; inodora; sapore subadstringente, subamaro.

Herba Fumariæ, *Jordrög-Urt.*

Fumariæ officinalis (Fumariaceæ, Diadelphia), plantæ annuæ indigenæ, herba foliis compositis, foliolis trilobatis; odore subnarcotico; sapore salso, amaro.

□ **Herba Hyoscyami,** *Bulme-Urt.*

Hyoscyami nigri (Solaneæ, Pentandria), plantæ biennis indigenæ, herba caule lanato-villoso, foliis amplexicaulibus, sinuatis, hirsutis; odore forti, nauseoso, narcotico; sapore fatuo, subamariusculo, acri.

Herba Lactucæ virosæ, *giftig Laktuk.*

Lactucæ virosæ (Synantheræ Cichoraceæ, Syngenesia), plantæ biennis indigenæ, herba foliis radicalibus in petiolum attenuatis, caulinis, amplexicaulibus, carina aculeata præditis, dentatis; odore nauseoso; sapore amaro, salso, subacri.

Herba Lobeliæ inflatæ, *Lobelie.*

Lobeliæ inflatæ (Lobeliaceæ, Pentandria), plantæ annuæ Americæ borealis, herba foliis ovalibus, obtusis, rugosis, inodoris; sapore acri, pungente.

□ **Herba Majoranæ,** *Merian.*

Origani Majoranæ (Labiatæ, Didynamia), plantæ annuæ Orientis et Europæ australis, apud nos cultæ, herba foliis ovatis, obtusis, integerrimis, plus minus tomentoso-pubescentibus, e viridi albescentibus, floribus parvis albis, in spiculas subternas congestis; odore et sapore fragrante, aromatico.

□ **Herba Malvæ cum floribus,** *Malva, Katost-Urt.*

Malvæ sylvestris (Malvaceæ, Monadelphia), plantæ perennis indigenæ, folia cordato-orbiculata, subquinquelobata, superne saturate-viridia, subtus pallidiora, inodora, sapore mucilaginoso.

Herba Mari veri, *Katte-Urt.*

Teucrii Mari (Labiatæ, Didynamia), fruticuli Orientis et Europæ meridionalis, præsertim Hispaniæ, herba foliis ovatis petiolatis, superficie inferiore unacum petiolis et ramulis tomento albo superinductis, floribus racemosis, purpureis; odore fragrante; sapore aromatico, peramaro.

Herba Marrubii albi, *Marrube-Urt.*

Marrubii vulgaris (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis, in ruderibus frequentis, herba hirsuta, e viridi albicans, foliis ovatis, crenatis, rugosis; odore proprio balsamico; sapore aromatico.

□ **Herba Meliloti,** *Meloten-Urt.*

Meliloti officinalis (Leguminosæ, Diadelphia), plantæ biennis indigenæ, rami florentes floribus luteis, odorem proprium subdulcem, gravem spirantibus.

Herba Melissæ s. Melissæ citratæ, *Citron-Melisse.*

Melissæ officinalis (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis Germaniæ meridionalis, in hortis cultæ, herba caule sulcato subpiloso, foliis ovato-cordatis, serratis, subvillosis, saturate viridibus, subtus pallidioribus; odore fragrante, citrino; sapore aromatico, amariusculo, subadstringente.

□ **Herba Menthæ crispæ,** *Krusemynte.*

Menthæ crispæ (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis originis sibiricæ, in hortis cultæ, herba caule retrorsum piloso, foliis brevissime petiolatis, subamplexicaulibus, den-

tatis, rugosis, undulatis, floribus terminalibus, verticillato-spicatis, corollis pallide rubellis; odore et sapore fragrante, balsamico, aromatico.

☐ **Herba Menthæ piperitæ,** *Pebermynte.*

Menthæ piperitæ (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis Angliæ, Græciæ, apud nos hortensis, herba caule retrorsum subhispido, foliis petiolatis, ovato-acutis, serratis, glabris, floribus capitato-spicatis, densis, violaceo-purpureis; odore fragrantissimo; sapore summe aromatico, frigoris sensum in ore relinquente.

☐ **Herba Millefolii,** *Röllike-Urt.*

Achilleæ Millefolii (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis apud nos vulgaris, herba foliis bipinnatis, oblongo-lanceolatis, laciniis linearibus, dentatis, floribus in corymbum terminalem, compositum, densum dispositis, parvis, albis vel rubellis; odore debili, haud grato, aromatico; sapore subsalso, amariusculo, subadstringente.

☐ **Herba Nicotianæ,** *Tobaksblade.*

Nicotianæ Tabaci (Solaneæ, Pentandria), plantæ annuæ Americæ meridionalis, folia oblongo-lanceolata, magna, integerrima, exsiccata fuscum induentia colorem, odore forti, nauseoso-narcotico, sapore acri, amaro.

Herba Origani cretici, *spansk Humle.*

Origani cretici (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis Orientis et Europæ australis, spicæ e viridi subfuscæ, odore fragrantissimo, sapore acri, aromatico.

☐ **Herba Origani vulgaris,** *vild Merian.*

Origani vulgaris (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis indigenæ, herba caule villoso, ramis quadrangulis, rubentibus, foliis oppositis, ovatis, plus minus pubescentibus, bracteis

ovatis, violaceo-purpureis, calyce longioribus, corymbis terminalibus, confertis, floribus pallide purpureis; odore fragrante aromatico; sapore aromatico, subsalso, amariusculo, subadstringente.

Herba Polygalæ amaræ, *Korsblomst-Urt.*

Polygalæ amaræ (Polygaleæ, Diadelphia), plantæ perennis in regionibus Europæ australibus crescentis, herba foliis obtusis, integerrimis, glabris, floribus terminalibus, racemosis, parvis, aut læte coeruleis aut albis aut rubellis; odore nullo; sapore peramaro, acri.

□ **Herba Rorismarini,** *Rosmarin.*

Rorismarini officinalis (Labiatæ, Diandria), fruticis Europæ meridionalis apud nos in hortis culti, herba foliis lineari-lanceolatis, floribus parvis, ringentibus, albido-coerulescentibus; odore forti, fragrante; sapore acri, camphoraceo.

Herba Rutæ, *Rude-Urt.*

Rutæ graveolentis (Rutaceæ, Decandria), fruticuli Europæ australis, Asiæ et Africæ, apud nos in hortis culti, herba caule inferne lignoso, superne herbaceo, foliis decompositis glaucescentibus, foliolis cruciformibus, floribus terminalibus, luteis; odore nauseoso-aromatico, neque tamen ingrato; sapore peramaro, aromatico.

□ ††† **Herba Sabinæ,** *Sevenbom.*

Juniperi Sabinæ (Coniferæ, Dioecia), fruticis Orientis et Europæ australis, passimque Germaniæ, apud nos hortensis, summitates ramorum, foliis oppositis, erectis, decurrentibus, acerosis, acutis, saturate viridibus; odore gravi nauseoso; sapore nauseoso, resinoso-balsamico, amaro.

□ **Herba Salviæ,** *Salvie.*

Salviæ officinalis (Labiatæ, Diandria), fruticuli Europæ australis, apud nos hortensis, herba foliis lanceolato-subovatis,

integris, rugosis, crenulatis; odore forti, balsamico-aromatico; sapore aromatico, amariusculo-adstringente.

☐ **Herba Serpylli,** *vild Timian.*

Thymi Serpylli (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis indigenæ, herba caule repente, foliis ovatis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis, purpurescentibus; odore grato, citrino; sapore aromatico, amariusculo, adstringente.

☐ ††† **Herba Stramonii,** *Pigæble-Urt.*

Daturæ Stramonii (Solaneæ, Pentandria), plantæ annuæ originis americanæ, apud nos passim crescentis, herba caule glabro, foliis ovatis, acuminatis, dentato-sinuatis, floribus solitariis, magnis, niveis, capsulis magnis subovatis; odore nauseoso-viroso, præsertim inter siccandum; sapore nauseoso-amaro, subsalso.

☐ **Herba Taraxaci,** *Lövetand.*

Leontodontis Taraxaci (Synantheræ Cichoraceæ, Syngenesia), plantæ perennis apud nos frequentissimæ, herba foliis runcinatis, denticulatis, lævibus, inodoris, floribus compositis, flavis; sapore subsalso, amaro.

Recens adhibenda.

☐ **Herba Thymi,** *Timian.*

Thymi vulgaris (Labiatæ, Didynamia), fruticuli ramosissimi Europæ australis, apud nos hortensis, herba caule erecto, foliis ovatis, revolutis, floribus verticillato-spicatis, albis; odore fragrante, grate aromatico; sapore aromatico.

☐ **Herba Trifolii fibrini,** *Bukkeblade.*

Menyanthis trifoliatæ (Gentianeæ, Pentandria), plantæ perennis indigenæ, herba caule radiciformi repente, scapo nudo, foliis ovatis, ternis, floribus terminalibus, racemosis; sapore peramaro.

Herba Veronicæ, *Ærenpriis.*

Veronicæ officinalis (Personatæ, Diandria), plantæ perennis indigenæ, herba caule procumbente, foliis oppositis, ovatis, crenatis, spicis lateralibus, pedunculatis, floribus coerulescentibus; odore levi balsamico; sapore balsamico amaro, subadstringente.

Herba Violæ tricoloris s. Jaceæ, *Stedmodersblomst.*

Violæ tricoloris (Violaceeæ, Pentandria), plantæ annuæ apud nos frequentissimæ, herba caule triquetro diffuso, foliis petiolatis, ovatis, dentatis, floribus calyce glabro duplo majoribus; odore vix ullo; sapore amariusculo.

□ **Hirudo,** *Sanguisuga, Blodigle.*

Sanguisuga medicinalis s. *germanica* et *Sanguisuga officinalis s. hungarica,* animalia articulata, ex ordine annulatorum, in paludibus rivulisque lente fluentibus præsertim Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Sveciæ, Daniæ obvia, corpore subcylindrico, lubrico, annulato, antrorsum attenuato, in dorso convexo, subtus plano; capite obtuso, ore triangulari; labio membranaceo, inter suctionem in discum mutari apto; mandibulis dentibus parvis, acutissimis præditis; oculis decem minutissimis; extremitate posteriore discoidea; dorso atrofusco vel obscure olivaceo, striis sex longitudinalibus, fusco-luteis picto; abdomine aut sordide olivaceo (*Sanguisuga medicinalis*), quæ præsertim apud nos in usum venit; aut nigromaculato (*Sanguisuga officinalis*), quæ major est et ex Hungaria advehitur.

In aqua pura, salia calcarea non continente, sæpius renovanda caute asservandæ sunt; in argilla aut turfa, aqua humectata, loco umbroso asservari quoque possunt. Sint agiles, minime sanguine repletæ. Cave, ne has confundas cum *Hirudine Gulone,* Braun (s. H. sanguisuga Lin., Heste-Iglen), his simillima, colore autem dorsi viridescente nigro nec non punctis irregularibus loco striarum luteorum differente.

□ **Hydrargyrum s. Mercurius vivus,** *Qviksölv, Merkur.*

Metallum albidum, ponderosum, volatile, liquidum, quod quidem nativum reperitur, sed plerumque sublimatione e mineris, præcipue cinnabarinis, obtinetur.

Hydromel spirituosum, *Mjöd.*

Liquor vinosus, fermentatione mellis proprio modo paratus.

Ichthyocolla, *Huusblas.*

Gelatina animalis, quæ ex intestinis, præsertim autem e vesica natatoria *Accipenseris Sturionis, A. stellati, A. Husonis*, piscium (Chondropterygii, Sturiones), maris caspici incolarum, coctione, refrigerio in pelliculas condensata, et insequente convolutione obtinetur.

Sit albida, ponderosa, tenax, in aqua et spiritu vini solubilis.

Indigo, color indicus, *Indigo.*

Pigmentum, maceratione vel digestione variarum ad *Indigoferam* pertinentium plantarum, uti *Indigoferæ Anil, I. tinctoriæ, I. argenteæ, I. dispermæ* (Leguminosæ, Diadelphia) et passim aliarum plantarum, paratum. In cubis 2—3 pollicaribus vel frustulis irregularibus, levibus, compactis, sed friabilibus, colore obscure coeruleo, inodoris et insipidis occurrit. Optima censetur *Indigo orientalis* et *Guatimalæ.*

□ ††† **Jodum s. Jodina,** *Jod, Jodine.*

Præparatum chemicum e cineribus variarum *Fuci* specierum, præsertim *Fuci saccharini*, squammulas exhibens griseonigras, splendentes, odoris chloro persimilis, saporis acris, metallici, igne sub forma fumi violacei plane avolantes, in spiritus vini rectificatissimi partibus 10 et in aquæ 6000 partibus solubiles.

□ **Kali carbonicum crudum s. Cineres clavellati,** *Potaske.*

Sal alcalinum, e cineribus lignorum elixivatione, inspissa-

tione, et levi ustione paratum, plerumque kali sulphurico, kali muriatico et partibus terreis inquinatum.

††† **Kali chromicum,** *chromsyret Kali.*

In officinis chemicis fusione pulveris mineræ «*Chromjernsteen*», quæ vocatur (ex oxydulo ferri et oxydo chromi constantis), cum nitro, facta deinde elixivatione et crystallisatione massæ salinæ, paratum. Præbet crystallos flavas, iis kali sulphurico similes, quæ calefactæ rubescunt, refrigeratæ autem colorem flavum iterum obtinent. In chartam exploratoriam vim alcalinam præbet; aqua fervida omni proportione, aqua frigida difficilius solvitur. Est saporis amari, ingrati, faucibus diu inhærentis.

□ **Kali ferreo-borussicum venale s. kali ferroso-hydrocyanicum,** *Blodludsalt, Cyanjernkalium.*

Sal ex kalio cyanato et ferro cyanato constans, in officinis chemicis ustione corporum animalium cum kali carbonico et ferro præparatum, crystallos exhibens cohærentes, flavas, sapore subdulci.

Eligantur crystalli majores, a kali sulphurico plane liberæ, quod sese prodit sedimento albo, si solutioni salis, viginti partibus aquæ factæ, solutio barytæ nitricæ additur.

□ **Kali nitricum s. Nitrum crudum,** *Salpeter.*

Sal ex acido nitrico et kali constans, quod in nitrariis terras in stabulis effossas aliasque illo prægnantes elixivando obtinetur, sed plerumque kali muriaticum, calcaream et magnesiam continet. Affertur quoque magna copia ex India orientali.

Eligatur album, crystallos exhibens longas, prismaticas, saporis acris, amaricantis, in manu clausa crepitationis sonum edens, carbonibus ignitis inspersum rubra flamma et strepitu prompte deflagrans, atque in aqua, maxime calida, facile solubile.

□ **Kali sulphuricum crudum s. Arcanum duplicatum s. Tartarus vitriolatus,** *svovelsyret Kali.*

Sal ex acido sulphurico et kali constans, in officinis chemicis e residuo destillationis acidi nitrici paratus, et crystallos exhibens cohærentes albas, prismaticas, apice acuminatas, in aere nec humectantes nec fatiscentes.

Metallis, præsertim zinco et cupro, haud inquinatum sit; illud præcipitatione solutionis salis liquore natri carbonici et solutione præcipitati albi in liquore ammonii caustici, — hoc eodem modo et solutione præcipitati in liquore ammonii caustici, colorem coeruleum induente, dignoscitur.

Kino s. Gummi Kino, *Kino.*

Pterocarpi erinacei (Leguminosæ, Diadelphia), arboris Africæ interioris, extractum sive succus, aere induratus, frustula exhibens parva, splendentia, friabilia, rubro-nigricantia; inodora; sapore peradstringente; aqua et spiritu vini maximam partem solubilia.

Kreosotum, *Kreosot.*

Liquor proprius, in officinis chemicis destillatione picis liquidæ pluries repetita paratus, oleo æthereo ponderosiori similis; coloris expers, pellucidus, lucem maxime refringens; cutem erodens; odoris proprii, gravissimi; saporis acris, empyreumatici; spiritu vini facile, aquæ centum partibus solubilis.

Lac vaccinum, *Ko-Mælk.*

Secretum *Vaccæ* notissimum.

Lactucarium, *Lactucarium.*

Lactucæ sativæ (Synantheræ Cichoraceæ, Syngenesia), plantæ annuæ in hortis cultæ, succus lacteus, e caule vulnerato aut presso effluens, leni exsiccatione aut inspissatione induratus, frustula exhibens parva fusco-flavescentia (*L. anglicum*) aut extractum siccatum fusco-rubescens (*L. gallicum*, nomine *Thridacis* quoque insignitum), odoris et saporis narcotici.

□ **Lapides Cancrorum,** *Krebseöine.*

Concrementa calcarea, alba, orbiculata, quorum altera superficies est convexa, altera concava, margine elevato simul prædita, texturæ lamellosæ, in ventriculo *Astaci fluviatilis*, animalis crustacei notissimi, sita.

Acido nitrico, relicta parte gelatinosa, sint solubiles.

□ **Lapis calaminaris,** *Galmeiesteen.*

Minera Zinci, coloris grisei aut flavescentis, massam racemosam, opacam, duram plerumque exhibens.

Lichen Carragheen, *Carragheen-Mos.*

Sphærococcus s. Chondrus crispus, fucus ad litora præsertim Angliæ et Hiberniæ frequens, mucilagine tam abundans, ut drachma ad gelatinam unciarum sex parandam sufficiat.

□ **Lichen islandicus,** *islandsk Mos.*

Cetraria islandica (Lichenes, Cryptogamia) in Islandia aliisque terris montosis Europæ borealis crescens.

□ **Lignum Guajaci s. sanctum,** *Guajac-Ved, Pokkenholt.*

Guajaci officinalis (Zygophylleæ, Decandria), arboris excelsæ Indiæ occidentalis, lignum trunci medium, densissimum, ponderosum, resinosum, e viridi cinereum; odore balsamico, non ingrato; sapore subamaro, acri.

Lignum Juniperi, *Enebær-Ved.*

Juniperi communis (Coniferæ, Dioecia), lignum albidum, durum, resinosum, suffitu odoratum.

□ **Lignum Quassiæ,** *Qvassie-Ved.*

Quassiæ amaræ (Simarubeæ, Decandria), fruticis surinamensis, lignum albicans, leve, rigidum, compactum, inodorum, saporis amarissimi.

A ligno *Rhois Metopii*, fraudulenter substituto, quod ponderosius, cortice obscuriore griseo, maculis nigrescentibus, resinosis passim obviis tectum est, cujusque decoctum affuso ferro sulphurico soluto nigrescit, bene distinguendum est.

Lignum Rhodii, *Rhodii-Ved, Rosen-Ved.*

Convolvuli Scoparii et *floridi* (Convolvulaceæ, Pentandria), fruticum insularum canariensium, radix lignosa et inferior trunci pars segmentis occurrens cylindricis, curvatis, nodosis, externe pallide cinereis, intus flavo-rubellis, densis, cortice griseo, rugoso passim tectis; odore gratissimo, rosaceo; sapore aromatico, amariusculo.

☐ **Lignum Santali rubrum,** *rödt Sandel-Ved.*

Pterocarpi santalini (Leguminosæ, Diadelphia), arboris Indiæ orientalis, lignum in frustis occurrens magnis, compactis, externe saturate fusco-rubris, in subviolaceum passim abeuntibus, intus læte et saturate sanguineis, inodoris, affrictis autem odorem debilem, grate aromaticum spargentibus; sapore miti-adstringente.

☐ **Lignum Sassafras,** *Sassafras-Ved.*

Lauri Sassafras (Laurineæ, Enneandria), arboris Americæ borealis, radix lignosa, levis, subrubicunda aut cinerea, cortice spongioso, e fusco ferrugineo cincta; odore fragrante, aromatico; sapore aromatico, subdulci.

☐ **Lithargyrum,** *Sölverglöd.*

Plumbum oxydatum semifusum, quod cupellatione argenti vel auri in officinis metallariis obtinetur et particulas exhibet squamosas, nitentes, ponderosas, friabiles, colore pallide flavescente, vix rubello (*L. argenteum*), vel colore magis rubello (*L. aureum*).

☐ **Macis,** *Moskatenblomme.*

Myristicæ moschatæ (Myristiceæ, Dioecia), arboris Indiæ

orientalis, præcipue insularum moluccensium, arillus, nucem moschatam reticuli instar ambiens, laciniatus, membranaceus, nonnihil coriaceus, pinguis; coloris læte cinnamomeo-flavescentis; odoris fragrantis, aromatici; saporis aromatici.

☐ **Magnesia carbonica, alba,** *kulsyret, hvid Magnesia.*

Magnesia cum acido carbonico juncta, quæ in officinis chemicis præcipitatione plerumque paratur, aut ex muria salis communis, magnesiam sulphuricam vel muriaticam continente, aut ex solutione magnesiæ sulphuricæ, kali vel natri carbonici ope facta. Est pulvis levissimus, albissimus, massas concretas, rectangulares, parallelepipedas, friabiles formans.

☐ **Magnesia sulphurica s. Sal anglicum, s. Sal catharticum amarum,** *svovelsyret Magnesia, Bittersalt.*

Sal neuter, ex acido sulphurico et magnesia constans, e fonte seidlizensi et epsomensi aut e lixivio salis communis elicitus. Crystallos teneras, aciculares, saporis salsi, amari format.

Malthum, *Malt.*

Semina hordei germinata, celeriter siccata, sapore dulci amariusculo, farinoso.

☐ **Manganum oxydatum nativum, Magnesia nigra,** *Bruunsteen.*

Oxydum nigrum cum mineris ferreis cet. sæpius associatum, ponderosum, inquinans, massas aciculares aut radiatim fibrosas, crystallinas formans, ignis ope aerem oxygenii largiter evolvens.

☐ **Manna calabrina,** *calabrisk Manna.*

Fraxini Orni (Oleineæ, Diandria), arboris Europæ australis, præsertim Italiæ, succus saccharinus tam sponte quam vulneratione arboris exsudatus et aere induratus, massam gru-

mosam, levem, ex albo lutescentem, odoris mellei, saporis dulcis, subacris exhibens.

Præferenda manna *electa*, quæ vocatur, sive *cannulata* in frustulis plerumque canaliculatis obvia. Sit corporibus heterogeneis non nimis inquinata, solutione in aqua dignoscendis. Solutio in spiritu vini rectificatissimo ope caloris facta et filtrata *Mannitem*, quæ vocatur, forma pulveris albi, levissimi, refrigeratione copiose demittat.

☐ **Mastix,** *Mastix.*

Pistaciæ Lentisci (Terebinthaceæ, Dioecia), arboris Orientis et Europæ australis, præsertim in insula Chio cultæ, resina partim sponte, partim incisionibus factis effluens aereque indurescens, grana formans globosa ad magnitudinem pisi, subpellucida, splendentia, masticatione tenacia reddita, coloris ex albo citrini, prunis injecta odorem svaveolentem spargentia.

☐ **Medulla bovina,** *Oxe-Marv.*

Massa albida, pinguis, solida, friabilis cavitatem ossium tubulosorum *Bovis Tauri* (Mammiferæ, Ruminantia) explens.

☐ **Mel,** *Honning.*

Substantia saccharina, glutinosa, albida, plus minusve flava, odore proprio debili, sapore grato, dulcissimo, quæ ab *Apibus mellificis* e nectariis florum collecta elaboratur et deinde in foveis asservatur. *Mel album* s. *virgineum*, melior species, favis juniorum apium sponte effluit; *Mel commune* s. *flavum* calore et pressione e cellulis ceraceis elicitur.

Mel tenue, odore et sapore ingrato, acidulo, et quod farina aliisque sordibus contaminatum rejiciatur.

Mercurius vivus, vide Hydrargyrum.

☐ **Minium, Plumbum oxydatum rubrum,** *Mönnie.*

Plumbum oxydatum ustione plumbi oxydulati flavi (*Massicot*) aut lithargyri, ad rubedinem usque, accessu aeris præparatum.

□ **Moschus orientalis,** *Moschus, Desmer.*

Moschi moschiferi (Mammalia, Bisulca), animalis montes alpinos Asiæ mediæ incolentis, materia propria, e folliculo rotundo, altera parte convexo, altera concavo vel plano, ventri maris pone umbilicum insidente excreta, unctuosa; in folliculo siccata grana referens e rufo nigricantia, in textu celluloso deposita; odoris peculiaris, fragrantissimi, diu persistentis; saporis amaricantis.

Sit Moschus in folliculis integris, non consutis, inclusus, consistentia non adeo molli, multis globulis, pinguedinis instar nitentibus, intermixtis, odoris penetrantissimi, in aqua maximam partem solubilis. Eligendus est *M. orientalis* s. *tunquinensis* e regno thibetano et sinico adlatus, cujus folliculi magnitudinem ovi gallinacei vix superant, extus pilis brevibus, rigidis, subfuscis, præsertim in media parte præditi, intus membranula fusca, tenera vestiti sunt.

□ **Myrrha,** *Myrrha.*

Balsamodendri Myrrhæ et *B. Kataf* (Terebinthaceæ, Octandria), arborum Arabiæ felicis et Æthiopiæ, succus gummoso-resinosus, sponte effluens, aere induratus, grana seu frustula formans irregularia, rugoso-verrucosa, variæ magnitudinis, fragilia, friabilia, subpellucida, e flavo rubescentia, striis pallidioribus variegata; odoris proprii grate aromatici, balsamici; saporis balsamici, amari.

□ **Natrum carbonicum crudum** s. **Soda cruda,** *raat kulsyret Natron, raa Soda.*

Sal alcalinum in lacubus sponte exsiccatis Ægypti, Siberiæ, Hungariæ copiose efflorescens (*Soda hungarica*), maximam tamen partem incineratione plantarum quarundam maritimarum, *sc. Salsolæ*, *Salicorniæ*, *Mesembrianthemi*, uti etiam variarum *Fucorum* specierum paratus (*Soda hispanica* s. *Barilla*), optima species, quæ massam exhibet compactam, duram, ponderosam, plus minus porosam, cinereo-coerulescentem aut nigrescentem, acidorum ope effervescentem,

saporis alcalini. *Soda fucina (Kelp, Varech)* inferior est species, iodum continens. Hodie soda venalis etiam e natro sulphurico ustione hujus salis cum carbone et calcaria plerumque parari solet.

☐ **Natrum muriaticum s. Sal communis s. culinaris,** *saltsyret Natron, almindeligt Salt, Kjökkensalt.*

Sal ex chloro et natrio constans, in officinis salinariis evaporatione muriæ vel aquarum marinarum plerumque paratus.

☐ **Natrum sulphuricum s. Sal mirabile Glauberi,** *svovelsyret Natron, Glaubers-Salt.*

Sal ex acido sulphurico et natro constans, in officinis chemicis e residuis destillationis acidi muriatici atque coctionis natri muriatici paratus, frusta formans crystallina, pellucida, aere fatiscentia, tribus aquæ partibus solubilia; sapore amaricante, refrigerante.

Rejiciatur quod metallis inquinatum est, aqua hydrosulphurata et kali ferreo-borussico dignoscendum.

☐ **Nihilum album s. Pompholix,** *hvidt Intet.*

Zincum oxydatum impurum, quod in officinis metallariis inter reductionem mineræ zinci vel inter conficiendum aurichalcum obtinetur, dum ad latera camini oxydum, forma massæ albæ, levis, friabilis, insipidæ, aqua insolubilis sublimatur.

Nitrum crudum, vide Kali nitricum.

☐ **Nuces moschatæ,** *Moskat-Nödder.*

Myristicæ moschatæ (Myristiceæ, Dioecia), arboris Indiæ orientalis, præsertim insularum moluccensium, nuclei oleosi, subrotundi, densi, ponderosi, extus reticulatim sulcato-

venosi, colore pallide fusco, intus e fusco rubentes, variegati; odore forti, grate aromatico; sapore aromatico, suavi.

□ ††† **Nuces vomicæ,** *Rævekager.*

Strychni Nucis vomicæ (Strychneæ, Pentandria), arboris ceylonensis et malabaricæ, semina disciformia, compressa, margine nonnihil crassiora, in medio umbilicata, tenacia, villis e cinereo-argenteis, splendentibus obsita, colore pallide cinereo-flavescente; inodora; sapore nauseoso-amarissimo.

Nuces vomicæ fuscæ vel mucidæ rejiciendæ, neque liceat pulverem venalem, semper adulteratum, emere.

Oleum Bergamottæ, *Bergamot-Olie.*

E cortice recenti fructuum cujusdam varietatis *Citri Aurantii*, cognomine *Bergamiæ* (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, in officinis technicis harum regionum dilaceratione epidermidis fructus et expressione paratum oleum æthereum, sublimpidum, tenue, pallide flavescens; odore gratissimo, aromatico; sapore acri, amariusculo.

Oleum Cajeputi, *Cajeput-Olie.*

E foliis ramulisque *Melaleuci Cajeputi* (Myrtaceæ, Polyadelphia), arboris Indiæ orientalis, paratum oleum æthereum limpidum, tenue, rarius flavescens, plerumque coloris viridis; odoris fragrantis, camphoracei; saporis aromatici.

Oleum Citri s. de Cedro, *Citron-Olie.*

E cortice fructuum *Citri medicæ* (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, eodem modo, quo oleum bergamottæ, paratum oleum æthereum, limpidum, pallide flavescens aut decolor; odore forti, grate citrino; sapore acri, aromatico.

□ **Oleum cornu cervi foetidum,** *stinkende Hjortehorns-Olie.*

E cornu cervi aliisque animalium partibus in officinis

chemicis destillatione sicca paratum oleum empyreumaticum, spissiusculum, opacum, brunneo-fuscum; odoris foetidissimi; saporis nauseoso-acris, empyreumatici.

Oleum corticum Aurantiorum, *Pomerants-Olie.*

E cortice fructuum *Citri Aurantii* (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, eodem modo, quo oleum bergamottæ, passim etiam destillatione paratum oleum æthereum, limpidum, tenue, flavescens; odore forti, grate aromatico; sapore aromatico, amariusculo.

††† **Oleum Crotonis,** *Croton-Olie.*

E seminibus *Crotonis Tiglii* (Euphorbiaceæ, Monoecia), fruticis Indiæ orientalis, expressione paratum oleum pingue, spissiusculum, flavescens, odore debili, sapore primum nonnihil miti, postea acerrimo, urente, faucibus diu inhærente.

□ **Oleum jecoris Aselli** s. **jecinoris Aselli,** *Stokfisk-Lever-Tran, Lever-Tran.*

Ex hepate *Gadi Morrhuæ*, *G. Callariæ* aliarumque *Gadi* specierum, piscium ex ordine Sternopterygiorum, familia Percarum, præcipue in Norvegia paratum oleum pingue, spissiusculum, pellucidum, colore aureo vel flavescente, odore et sapore miti, piscino.

Oleum laurinum, *Laurbær-Olie.*

E baccis *Lauri nobilis* (Laurineæ, Enneandria), arboris Asiæ et Europæ meridionalis, expressione et coctione cum aqua paratum oleum pingue, consistentia ungventi mollioris, granulatum, colore flavo viridi; odore forti, laurino; sapore amaro.

□ **Oleum Lavendulæ,** *Lavendel-Olie.*

Ex herba florente recenti *Lavandulæ angustifoliæ* et *latifoliæ* (Labiatæ, Didynamia), fruticulorum Europæ meridio-

nalis, apud nos hortensium, destillatione aquæ ope præsertim in Gallia meridionali paratum oleum æthereum, limpidum, tenue, pallide flavescens, odore et sapore forti, aromatico.

□ **Oleum Lini,** *Linolie.*

E seminibus *Lini usitatissimi* (Lineæ, Pentandria), plantæ annuæ apud nos crebro cultæ, expressione paratum oleum pingue, spissiusculum, pellucidum, fusco-flavum, odore et sapore debili, ingrato.

Oleum Nucistæ expressum s. Butyrum Nucistæ, *Moskatnöd-Olie, Moskat-Balsam.*

E nucleis *Myristicæ moschatæ* (Myristiceæ, Dioecia), arboris Indiæ orientalis, expressione paratum oleum æthereo-ungvinosum, consistentia sebacea, in panibus seu massis oblongis quadrangularibus occurrens, extus fusco-rubellis, intus maculis aurantiacis variegatis, odore forti, grate aromatico; sapore aromatico, simul ungvinoso.

In æthere sulphurico omnino solubile sit; solutio enim turbida sebum immixtum indicat.

□ **Oleum Olivarum,** *Bomolie.*

E fructibus *Oleæ europeæ* (Oleineæ, Diandria), arboris Orientis et Europæ meridionalis, expressione vel coctione cum aqua paratum oleum pingue, spissiusculum, in massam albam granulosam frigore facile coalescens, coloris pallide flavescentis, in viridem vix vergentis; inodorum; saporis mitissimi.

Oleum Origani cretici, *spansk Humle-Olie.*

Ex herba *Origani cretici* (Labiatæ, Didynamia), plantæ perennis Orientis et Europæ australis, destillatione solito modo paratum oleum æthereum, tenue, pellucidum, plerumque rufum, odore et sapore aromatico.

☐ **Oleum Papaveris,** *Valmue-Olie.*

E seminibus *Papaveris somniferi* (Papaveraceæ, Polyandria), plantæ annuæ orientalis, in Europa cultæ, expressione paratum oleum pingue, mite, tenue, subflavescens, inodorum et insipidum.

☐ **Oleum Petræ s. Petroleum,** *Steenolie.*

Oleum bituminosum, quod in montibus Germaniæ, Helvetiæ, Galliæ, Italiæ, Hungariæ inprimisque Asiæ nativum provenit, e terra vel rimis saxorum passim profluens, sæpius aquæ innatans, cujus variæ species varii coloris dantur.

Cavendum est, ne alio oleo æthereo v. c. oleo terebinthinæ commixtum sit, quod detegitur, si affuso acido nitrico fumante aut acido sulphurico oleum petræ plus minusve calefit, coloratur et spissescit.

☐ **Oleum Raparum,** *Rap-Olie.*

E seminibus *Brassicæ Napi* (Cruciferæ, Tetradynamia), plantæ annuæ apud nos cultæ, expressione paratum oleum pingue, flavum, odore et sapore subnauseoso.

☐ **Oleum Ricini,** *amerikansk Olie, Calapatolie.*

E seminibus *Ricini communis* (Euphorbiaceæ, Monoecia), plantæ annuæ Indiæ orientalis et Africæ borealis, in America et Europa cultæ, expressione aut coctione cum aqua in utraque India paratum oleum pingue, spissiusculum, subflavescens aut coloris expers, inodorum, sapore miti; in spiritu vini rectificatissimo penitus solubile.

☐ **Oleum Rorismarini s. Anthos,** *Rosmarin-Olie.*

Ex herba florente *Rorismarini officinalis* (Labiatæ, Diandria), fruticis Europæ meridionalis, in Gallia meridionali et Hispania destillatione paratum oleum æthereum, tenue, limpidum, decolor, odore graveolente, sapore camphoraceo.

□ **Oleum Succini crudum,** *raa Rav-Olie.*

In officinis chemicis sicca Succini destillatione paratum oleum empyreumaticum, spissiusculum, fuscum, odore et sapore forti, empyreumatico.

□ **Oleum Terebinthinæ,** *Terpenthinolie.*

Destillatione *Terebinthinæ communis* cum aqua paratum oleum æthereum, tenue, limpidum, decolor, odore penetrante balsamico, sapore acri, pungente.

□ **Oleum Vitrioli,** vide Acidum sulphuricum.

□ **Olibanum** s. **Thus,** *Virak.*

Bosvelliæ serratæ (Terebinthaceæ, Decandria), arboris Indiæ orientalis, succus resinosus sponte effluens, aere induratus, frustula exhibens granulosa, opaca vel subdiaphana, ex albido lutescentia, fragilia, quæ accensa odorem edunt fragrantem; saporis balsamici, amariusculi.

□ ††† **Opium,** *Opium.*

Papaveris somniferi (Papaveraceæ, Polyandria), plantæ annuæ orientalis, in Europa cultæ, succus lacteus e pericarpiis immaturis vulneratis effluens, aere induratus, in glebas ponderosas formatus, foliis Papaveris involutas, seminibus Rumicis cujusdam sæpius conspersas; coloris spadiceo-fusci; odoris ingrati, narcotici; saporis acris, amari, nauseosi.

□ **Orleana, Orellana,** *Orlean.*

E fructibus *Bixæ Orellanæ* (Bixineæ, Polyandria), arboris Americæ australis et Indiæ occidentalis, expressione et insequente succi fermentatione parata massa colorata, in glebis rotundis aut quadratis occurrens, pondere 3—4 librarum, foliis arundinaceis involutis, semper fere humidis; colore sanguineo; odore proprio, animali, subputrido; sapore salso,

subadstringente. Frusta siccata, colore fusco-rubro, inodora et friabilia sunt; trita pulverem flavo-rubrum præbent.

In spiritu vini et æthere, colore pulchre flavo-rubro oriente, in liquoribus alcalinis, colore sanguineo effecto, maxima ex parte sit solubilis.

Os Sepiæ, *Meerskum.*

Sepiæ officinalis (Mollusca, Cephalopoda), animalis marini, præcipue mare mediterraneum inhabitantis, pars dorsi testacea, interna, quæ mari innatans crebro reperitur, in superiore parte e lamellis concentricis, tenuibus, corneis, in inferiore parte e substantia porosa constans, utrinque leviter convexa, fragilis, friabilis, fere inodora, sapore subsalso, marino, terreo.

Substantia inferior, porosa, sola in usum vocanda.

□ **Ova gallinacea,** *Hönse-Æg.*

Phasiani Galli (Aves, Gallinaceæ) foeminæ ova notissima.

□ **Passulæ minores s. corinthiacæ,** *Corender.*

Vitis viniferæ apyrenæ (Ampelideæ, Pentandria), fruticis Europæ meridionalis, præsertim insularum Archipelagi, baccæ maturæ, sole siccatæ, nigro-fuscæ, carne dulcissimo, seminibus carente.

□ ††† **Phosphorus,** *Phosphor.*

Substantia sui generis simplex, quæ in officinis chemicis e mixtione acidi phosphorici impuri et carbonis pulverati, retortæ lapideæ, excipulo aquam continente adaptato, immissa, destillatione sicca paratur. Phosphorus ita elicitus et aqua calida liquatus dein in infundibula, tubis longis tenuibusque instructa, et aqua calida cincta, ut bacilli formentur, immittitur, qui refrigerati eximuntur et in vasis aqua repletis diligenter asservantur. Bacilli ita formati crassitudine calami scriptorii sunt, colore albido, vix flavescente, recentes

diaphani, noctu lucidi, insipidi et inodori; adtactu aeris autem odorem alliaceum exhalant.

Piper hispanicum, vide Fructus Capsici annui.

☐ **Piper nigrum,** *sort Peber.*

Piperis nigri (Piperaceæ, Diandria), fruticis scandentis Indiæ orientalis, baccæ immaturæ grana referentes globosa, rugosa, fusco-nigricantia, odoris proprii aromatici, sapore aromatico, urente.

☐ **Pix burgundica s. alba,** *burgundisk Beg, hvidt Beg.*

E variis *Pini* speciebus, liquatione resinæ sponte effluentis, coctione cum aqua et colatione parata resina, pallide fusca, frigore fragilis, calore manus autem mollescens, odoris terebinthacei.

☐ **Pix liquida,** *Tjære.*

Liquidum resinosum sicca per descensum destillatione ligni *Pini Abietis* et *sylvestris* (Coniferæ, Monoecia), arborum indigenarum, obtentum, tenax, nigrum, odore balsamico, sapore acri, amaro.

☐ **Pix navalis s. solida,** *Beg.*

Massa resinosa, solida, nigra, frigore fragilis, calore leni liquescens, quæ pice liquida paranda obtinetur, præsertim autem evaporatione ejus paratur, odore debiliore, sapore eodem, quo pix liquida.

Plumbum, *Bly.*

Metallum ex albo coerulescens, ductile, molle, quod e mineris plumbeis in officinis metallariis paratur.

☐ ††† **Plumbum aceticum crudum s. Saccharum Saturni,** *Blysukker.*

Sal ex acido acetico, oxydo plumbi cum aqua constans.

in officinis chemicis dissolutione plumbi aut *Massicot*, *Lithargyri* aut *Cerussæ* ope aceti destillati et evaporatione solutionis paratus; crystallos exhibens parvas, prismaticas, sæpissime cohærentes, albas vel flavescentes, nitentes, pellucidas, odoris acetici, saporis primum dulcis, dein styptico-metallici.

Servetur vasis bene clausis. Adulteratio cum calce et argilla detegitur, si post perfectam plumbi præcipitationem ope aeris hydrothionici liquor filtratus kali carbonico soluto sedimentum album demittat

☐ **Poma acidula,** *syrlige Æbler.*

Pyri Mali (Rosaceæ, Icosandria), arboris Europæ, in hortis cultæ, poma matura.

☐ **Poma Aurantiorum immatura,** *umodne Pomerantser.*

Citri Aurantii (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, fructus immaturi siccati, globulosi, e viridi nigrescentes, odore aromatico, sapore amaro.

☐ **Poma Citri,** *Citroner.*

Citri medicæ (Aurantiaceæ, Polyadelphia), arboris Orientis et Europæ meridionalis, fructus maturi.

☐ **Radix Alcannæ,** *Alkanne-Rod, röd Oxetunge-Rod.*

Anchusæ tinctoriæ (Boragineæ, Pentandria), plantæ perennis Europæ meridionalis, radix siccata, cortice rugosissimo, extus fusco-rubra, intus alba; inodora; sapore subadstringente, mucilaginoso.

☐ **Radix Altheæ,** *Althea-Rod.*

Altheæ officinalis (Malvaceæ, Monadelphia), plantæ perennis Germaniæ et Galliæ, crebro cultæ, radix teres, intus alba, carnosa, inodora; sapore subdulci, mucilaginoso.

Radix Angelicæ, *Angelica-Rod.*

Angelicæ Archangelicæ (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ

biennis Europæ mediæ et borealis, in hortis cultæ, radix fibrosa, capite oblongo, crasso, extus e flavo rubens, superficie segmentorum transversorum alba, maculis multis, flavis punctata, intus sordide albida; odore forti proprio, grate aromatico; sapore primum dulciusculo, postea peracri, amaro.

☐ **Radix Ari,** *dansk Ingefær.*

Ari maculati (Aroideæ, Monoecia), plantæ perennis Germaniæ, apud nos passim crescentis, radix tuberosa, recens succulenta-carnosa, lactescens, ovata vel subglobosa, extus obscure fusca, intus alba, fere inodora, sapore acerrimo.

Radix Aristolochiæ rotundæ, *rund Osterluzei-Rod.*

Aristolochiæ rotundæ (Aristolochieæ, Gynandria), plantæ perennis Europæ meridionalis, radix subglobosa, tuberosa, externe griseo-flava, intus flavescens, odore et sapore ingrate aromatico.

☐ **Radix Armoraciæ,** *Peberrod.*

Cochleariæ Armoraciæ (Cruciferæ, Tetradynamia), plantæ perennis Germaniæ, frequenter cultæ, radix cylindrica, crassa, externe flavescens, intus albida, succulenta; recens contrita odore penetrante, acri, sapore simili, pungente, subdulci.

Radix Arnicæ, *Volverlei-Rod.*

Arnicæ montanæ (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis plurium regionum Europæ, apud nos passim crescentis, radix fibrosa, annulata, fusca; odore proprio haud grato, aromatico; sapore subacri.

☐ **Radix Artemisiæ vulgaris,** *Graabynke-Rod.*

Artemisiæ vulgaris (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesiæ), plantæ perennis indigenæ, frequentis, radix subcylindrica,

fibris ramosis utrinque dense obsessa, rugosa, striata, recens extus læte cinereo-fusca, siccata obscure griseo-fusca, intus alba; odore proprio haud grate aromatico; sapore dulciusculo.

□ **Radix Bardanæ,** *Burre-Rod.*

Arctii Lappæ (Synantheræ Cynarocephalæ, Syngenesia), plantæ biennis indigenæ, radix, plus minus ramosa, crassa, spongiosa, levis, extus griseo-fusca, intus albida, recens odore subnarcotico, siccata inodora; sapore subdulci, acri.

□ ††† **Radix Belladonnæ,** *Belladonna-Rod.*

Atropæ Belladonnæ (Solaneæ, Pentandria), plantæ perennis Europæ meridionalis, in hortis medicis cultæ, radix, plus minus ramosa, leviter annulata, extus sordide lutea, intus albida; inodora; sapore fatuo, nauseoso, amariusculo.

□ **Radix Calami aromatici,** *Calmus-Rod.*

Acori Calami (Aroideæ, Hexandria), plantæ perennis indigenæ, radix ramosa, annulato-geniculata, spongiosa, extus pallide fuscescens, intus alba, recens odore forti aromatico, subnauseoso, siccata grato; sapore acri-aromatico, postea amaro.

Decorticata dispensetur.

□ **Radix Caricis arenariæ,** *stor Græs-Rod.*

Caricis arenariæ (Cyperaceæ, Monoecia), graminis perennis indigenæ, radix repens, longissima, articulata, squamis vaginalibus, longis, fuscis obsessa, extus pallide grisea, intus alba; odore peculiari, subbalsamico; sapore dulciusculo, subirritante.

□ **Radix Caryophyllatæ,** *Nellikerod.*

Gei urbani (Rosaceæ, Icosandria), plantæ perennis indi-

genæ, radix fibrosa, extus fusca, intus rubens; odore grato, caryophyllaceo; sapore adstringente, amariusculo.

□ **Radix Chinæ,** *Chinarod.*

Smilacis Chinæ (Smilacineæ, Dioecia), fruticis scandentis Chinæ, Japoniæ cet., radix crassa, plus minus inæqualiter gibbosa, rugosa, densa, dura, ponderosa, extus fusco-rubens, intus albida vel fuscescens; inodora; sapore fatuo, amariusculo.

Radix Cichorei, *Cichorie-Rod.*

Cichorei Intybi (Synantheræ Cichoraceæ, Syngenesia), plantæ perennis indigenæ, frequentissimæ, radix ramosa, cylindrico-fusiformis, carnosa, longa, extus albido-cinerea, intus albida, quæ vulnerata lactescit; inodora; sapore amaricante.

††† **Radix Colchici,** *Colchicum-Rod, nögen Jomfrurod.*

Colchici autumnalis, (Colchicaceæ, Hexandria), plantæ perennis in pratis depressis Europæ australis, uti etiam apud nos passim crescentis, radix bulbosa, solida, carnosa, ab altera parte convexa, ab altera plana, levi scapi impressione prædita, tunica pulla extus vestita, intus alba; recens odore forti, nauseoso, siccata inodora; sapore acri.

Radix Columbo, *Columbo-Rod.*

Menispermi palmati (Menispermaceæ, Dioecia), *fruticis scandentis Africæ australis, radix ex insula Ceylonia allata, lignosa, rugosa, extus subfusca, intus e viridi lutea, in taleolis transversim scissis plerumque occurrens, qui exhibent discos 1-2 pollicares et latiores, 2-4 lineas crassos, striis concentricis coloris subfusci notatos; odore debili nauseoso, sapore peramaro, diu persistente.

□ **Radix Curcumæ,** *Gurgemeie-Rod.*

Curcumæ longæ (Scitamineæ, Monandria), plantæ perennis

Indiæ orientalis, radix cylindrica aut oblonga, tuberculata, rugosa, ponderosa, tenax, extus e luteo fusca, intus intense flava; odore aromatico; sapore amaro, aromatico.

☐ **Radix Cynoglossi,** *Hundetungerod.*

Cynoglossi officinalis (Boragineæ, Pentandria), plantæ biennis indigenæ, radix fusiformis, simplex vel ramosa, extus fusca, intus alba, recens odore nauseoso, siccata inodora; sapore fatuo, mucilaginoso.

☐ **Radix Filicis,** *Bregne-Rod.*

Aspidii Filicis maris (Filices, Cryptogamia), plantæ perennis indigenæ, radix magna, cylindrico-obconica, propaginibus imbricatis, oblongis, uti et fibris tenuibus undique tecta, extus subfusca, intus pallide flavo-viridis; recens odore peculiari subnauseoso; sapore dulci, subadstringente, dein subamaricante.

☐ **Radix Galangæ,** *Galanga-Rod.*

Alpiniæ Galangæ (Scitamineæ, Monandria), plantæ perennis Indiæ orientalis et Chinæ, radix nodosa, teres, dura, jam crassior (*Radix Galangæ major*), jam tenuior (*Rad. Galangæ minor*); extus e fusco rubra, intus rubicunda; odore grate aromatico, sapore acri, amaricante.

☐ **Radix Gentianæ,** *Enzianrod.*

Gentianæ luteæ (Gentianeæ, Pentandria), plantæ perennis alpinæ Europæ mediæ, radix cylindrica, subramosa, carnosa, extus fusca, intus flava, recens odore subnauseoso, subacri; siccata odore debili, aromatico; sapore peramaro, diu faucibus adhærente.

Radices aliarum *Gentianæ* specierum huic non raro substituuntur, quæ tamen plerumque sunt minores, colore intus pallidiore vel obscuriore-fuscescente præditæ.

□ **Radix Graminis,** *Græsrod.*

Tritici repentis (Gramineæ, Triandria), plantæ perennis indigenæ, radix longissima, repens, filiformis, tenuis, articulata, glabra, tenax, squamis et fibris, sedulo defricandis obsita, intus succulento-carnosa, albida; inodora; sapore grate dulci.

Radix Helenii s. Enulæ, *Alantrod.*

Inulæ Helenii (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis montanæ Europæ mediæ, radix magna, cylindrico-ramosa, ponderosa, carnosa, glabra, extus flavo fuscescens, intus alba; odore forti aromatico; sapore subaromatico, subnauseoso.

††† **Radix Hellebori albi,** *hvid Nyserod.*

Veratri albi (Colchicaceæ, Hexandria), plantæ perennis montanæ Europæ australis, Helvetiæ, Tyrolis passimque Germaniæ, radix dura, conico-cylindrica, obtusa, tuberculosc-rugosa, aspera, extus fusca, intus alba; inodora, trita autem naribus admota sternutationem vehementer excitans; sapore acerrimo.

Radix Hellebori nigri, *sort Nyserod.*

Hellebori nigri (Ranunculaceæ, Polyandria), plantæ perennis alpinæ, præcipue Austriæ, Italiæ, Hispaniæ, radix fibrosa, rhizomate subrotundo, fibrillis crassioribus, extus nigris, intus albidis; odore debili, subnauseoso; sapore acri, subamaro, nauseoso.

Quæ in hortis colitur radix, non adhibeatur. Cavendum etiam est, ne radices *Adonidis vernalis, Actææ spicatæ* cet. intermixtæ sint.

□ **Radix Jalapæ,** *Jalape-Rod.*

Ipomeæ Purgæ s. *Convolvuli Purgæ* (Convolvulaceæ, Pentandria), plantæ perennis mexicanæ, radix magna, tuberosa,

ponderosa, recens albida, succulenta; resinosa; siccata venalis tubera exhibet subglobosa vel pyriformia vel taleolas dissectas, e lamellis concentricis compositas, colore fusco; odore debili nauseoso; sapore primum nauseoso, dulciusculo, postea acri.

□ **Radix Ipecacuanhæ,** *amerikansk Brækrod.*

Callicoccæ s. *Cephaelidis Ipecacuanhæ* (Rubiaceæ, Pentandria), plantæ perennis Brasiliæ, radix repens, subcylindrica, gracilis, subramosa, annulis eminentibus, inæqualibus, numerosis prædita, e parte interiore lignea, cortice albicante, fragili et epidermide cinerea tecta constans; odore nauseoso; sapore nauseoso, amaro-acri.

□ **Radix Iridis florentinæ,** *Violrod.*

Iridis florentinæ (Irideæ, Triandria), plantæ perennis Orientis et Europæ meridionalis, in hortis cultæ, radix ponderosa, compacta, nodosa; decorticata coloris albi, punctis subfuscis notata; odore grato, violaceo; sapore amaricante, subacri.

□ **Radix Liquiritiæ,** s. **Glycyrrhizæ,** *Lakritsrod.*

Glycyrrhizæ glabræ (Leguminosæ, Diadelphia), plantæ perennis Europæ meridionalis, et *Glycyrrhizæ echinatæ,* plantæ perennis Russiæ meridionalis et Asiæ mediæ, radix longissima, cylindrica, lignea, tenacissima, extus griseo-fusca, intus flava, sapore dulci, dein amaricante.

Nonnisi decorticata radix adhibeatur.

Radix Ononidis, *Kragetorn-Rod.*

Ononidis spinosæ (Leguminosæ, Diadelphia), plantæ perennis indigenæ, radix multiceps, cylindrica, extus griseo-fusca, intus alba, inodora, sapore nauseoso, dulciusculo, irritante.

Radix Poeoniæ, *Pion-Rod.*

Poeoniæ officinalis (Ranunculaceæ, Polyandria), plantæ perennis alpinæ, in hortis cultæ, radix tuberoso-pendula, carnoso-succulenta, extus rubro-fusca, intus albida; recens odore proprio nauseoso, siccata inodora; sapore nauseoso, primum dulciusculo, postea amaro, subacri.

□ **Radix Pimpinellæ albæ,** *hvid Pimpinelle-Rod.*

Pimpinellæ saxifragæ (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ perennis indigenæ, radix fusiformis, fibrosa, extus cinereo-flavescens, intus albida; odore peculiari forti, aromatico, ingrato; sapore aromatico, acri, pungente.

Radix Pyrethri, *Bertramrod.*

Anacycli officinarum (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ annuæ originis incertæ in Germania cultæ, et *Anacycli Pyrethri*, plantæ perennis Africæ borealis et Europæ meridionalis, radix cylindrica, densa, dura, sed fragilis, rugosa, extus griseo-fusca, intus cinereo-albida, inodora, sapore peracri. *Radix Anacycli officinarum*, quæ *radix Pyrethri germana* vocatur, tenuior et fibris sparsis, filiformibus obsessa est. *Radix Anacycli Pyrethri*, quæ *Radix Pyrethri romana* appellatur, crassior et fibris illis destituta est.

Radix Ratanhiæ, *Ratanhie-Rod.*

Krameriæ triandræ (Polygaleæ, Tetrandria), fruticis Americæ meridionalis, radix ramosa, extus e rubro fusca, intus aurantiaca, inodora, sapore peradstringente, amariusculo.

□ **Radix Rhei s. Rhabarbari,** *Rhabarbra-Rod.*

Rhei Emodi Wall. s. *australis Don*, *Rhei compacti*, *Rhei palmati* aliarumque, ut verosimile est, *Rhei* specierum (Polygoneæ, Enneandria), plantarum perennium asiaticarum, in montibus himaleyensibus, regni Nepal, Tibethi, Buchariæ,

Mongoliæ, Persiæ, Syriæ cet. crescentis, radix, frusta exhibens plerumque decorticata, irregularia, complanata, convexo-concava vel subcylindrica, 2-8 pollices longa, 1-3 pollices lata et tertiam ad dimidiam pollicis partem crassa, foramine plerumque amplo perforata, extus flava, albido- et rubro-venosa, pulvere saturate luteo sæpius conspersa, intus reticulatim fusco-rubro-venosa vel marmorata, salivam flavam tingentia, inter manducandum frindentia, odore proprio subnauseoso, sapore nauseoso, modice amaro et adstringente.

Radix rhei bona sit sicca, densa, nec nimis levis nec nimis ponderosa, fractura inæquali, intus pulchre sed irregulariter undulatim rubro-marmorata, corpore duro affricta striam intense luteam præbeat, inter masticandum salivam intense luteam tingat et ita emolliatur, ut solvi fere videatur.

Radix Rubiæ tinctorum, *Krap-Rod.*

Rubiæ tinctorum (Rubiaceæ, Pentandria), plantæ perennis Orientis, in Europa cultæ, radix e plantis tri-vel quadriennibus et annosioribus colligenda, cylindrica, ramosa, cortice crassiusculo cum epidermide obscure fusca, facili solutu prædita, recens intus lutea, siccata fusco-rubra; fere inodora; sapore primum dulciusculo, postea nonnihil adstringente, irritante, amaro, inter manducandum salivam colore rubro tingens.

□ Radix Salep, *Salap-Rod.*

Orchidis Morionis, *O. masculæ*, *O. militaris* aliarumque *Orchidis* specierum (Orchideæ, Gynandria), plantarum perennium quidem indigenarum, ex Oriente semper tamen advehenda radix tuberosa, oblonga, subglobosa vel palmata, ponderosa, e subfusco cinerea; odore debili, proprio, sapore mucilaginoso.

Radix Saponariæ, *Sæberod.*

Saponariæ officinalis (Caryophylleæ, Decandria), plantæ

perennis indigenæ, radix prælonga, fibrosa, cylindrica, geniculata, extus fusco-rubra, intus flavescens; inodora; sapore primum dulciusculo, postea acri, amaricante.

☐ **Radix Sarsaparillæ,** *Sarsaparille-Rod.*

Smilacis Sarsaparillæ, *S. officinalis*, *S. syphiliticæ* pluriumque, ut videtur, *Smilacis* specierum (Smilacineæ, Dioecia), fruticum scandentium Americæ meridionalis et mediæ, radix repens, flexuosa, fragilis, subrugosa, extus fusca, intus alba; inodora; sapore primum farinoso, dein subacri.

Quænam species venalis optima sit, nondum certe exploratum est; hodie Sarsaparilla lisbonensis anteponitur; Sarsaparilla Honduræ autem præferenda esse videtur.

☐ **Radix Scillæ,** *Strandlög-Rod.*

Scillæ maritimæ (Liliaceæ, Hexandria), plantæ perennis ad oras maris mediterranei et atlantici præsertim crescentis, bulbus permagnus, ovato-ventricosus, 6-8 pollices longus, 5-6 pollices crassus, squamis concentricis imbricatis, exterioribus tunicatis, scariosis, interioribus carnoso-membranaceis, placentæ convexæ carnosæ insidentibus gemmamque mediam includentibus constans, extus fusco-ruber vel albus, intus pallido-violaceus vel albus. Squamulæ interiores albidæ, recentes, succo mucilaginoso, peracri turgentes, leni calore exsiccatæ, sapore amaro præditæ lamellas exhibent irregulares, incurvas, flavescente albas aut rufescentes, subdiaphanas, carnosas, fragiles, inodoras, sapore nauseoso. subacri.

☐ **Radix Senegæ,** *Senega-Rod.*

Polygalæ Senegæ (Polygaleæ, Diadelphia), plantæ perennis Americæ borealis, præsertim Virginiæ et Pensylvaniæ, radix superne nodosa, inferne in ramos incurvatos desinens, extus e cinereo lutescens, intus alba, odore debili dulciusculo-irritante, sapore acri, pungente.

Radix Serpentariæ virginianæ, *virginiansk Slangerod.*

Aristolochiæ Serpentariæ (Aristolochieæ, Gynandria), plantæ perennis Americæ borealis, præcipue Virginiæ, radix tenuis, levis, flexuosa, permultis fibris filiformibus et capillaceis inter se tricatis; colore extus plus minusve saturate griseo-fuscescente, intus albido; odore fragrante, aromatico, camphoraceo; sapore aromatico, camphoraceo, amaro.

☐ **Radix Taraxaci,** *Lövetand-Rod.*

Leontodontis Taraxaci (Synantheræ Cichoraceæ, Syngenesia), plantæ perennis apud nos frequentissimæ, radix cylindrico-fusiformis, plerumque ramosa, fibrosa, extus fusca, intus alba; odore debili, dulciusculo; sapore dulciusculo, postea insigniter amaro.

Radix Tormentillæ, *Tormentille-Rod.*

Tormentillæ erectæ (Rosaceæ, Icosandria), plantæ perennis indigenæ, radix subtuberosa, cylindrica vel fusiformis, ramosa, flexuosa, curvata, densa, ponderosa, fibrillis numerosis obsessa, extus e rubro fusca, intus carneo-fuscescens; odore debili aut nullo; sapore adstringente.

☐ **Radix Valerianæ minoris, s. sylvestris,** *Baldrian-Rod.*

Valerianæ officinalis (Valerianeæ, Triandria), plantæ perennis indigenæ, radix fibrosa, rhizomate oblongo, quodammodo truncato, fibris permultis, tenuibus, tenacibus, subfuscis undique obsessa; odore gravi subnauseoso; sapore amaro, acri-aromatico.

Radix Vincetoxici, *Svalerod.*

Cynanchi s. *Asclepiadis Vincetoxici* (Asclepiadeæ, Pentandria), plantæ perennis indigenæ, radix tuberosa, fibrosa, fibris numerosissimis, prælongis, filiformibus undique prædita, cinerea; recens odore nauseoso; sapore amariusculo, acri.

Radix Zedoariæ, *Zedoar-Rod.*

Curcumæ Zedoariæ (Scitamineæ, Monandria), plantæ perennis Indiæ orientalis, radix tuberosa, ponderosa, jam frusta in longitudinem secta, plerumque quadrata, interdum discoidea (*Zedoaria longa*), jam tubera subglobosa vel segmenta hemisphærica (*Zedoaria rotunda*) exhibens, extus cinerea, intus subfusca; odore fragrante, subcamphoraceo; sapore acri, amaricante.

☐ **Radix Zingiberis albi,** *hvid Ingefær.*

Zingiberis officinalis s. *Amomi Zingiberis* (Scitamineæ, Monandria), plantæ perennis Indiæ orientalis, in India occidentali cultæ, radix tuberosa, articulata, compressa, rugosa, ponderosa, extus ex albo cinerea, intus alba; odore fragrante, grate aromatico; sapore acri, amaricante.

☐ **Resina communis,** *almindelig Harpix.*

Pini sylvestris et *P. Abietis*, pluriumque *Pini* specierum (Coniferæ, Monoecia), arborum in Europa crescentium, resina, ex trunco vulnerato effluens et aere indurescens, in glebis occurrens magnis et irregularibus, vel panibus compressis, subdiaphanis, aurantiacis vel luteis; odore et sapore terebinthaceo.

☐ **Resina Guajaci nativa,** *Guajak-Harpix.*

Guajaci officinalis, (Zygophylleæ, Decandria), arboris Indiæ occidentalis, resina, sponte vel trunci vulneratione effluens vel caloris ope liquefacta exsudans, in frustis occurrens magnis, subglobosis vel irregularibus, duris, fragilibus, subdiaphanis, friabilibus, fractura nitentibus cum assulis corticis et ligni sæpius intermixtis, fusco-viridescentibus, quæ aditu aëris colorem contrahunt sordide viridem, pulverata cum aqua et gummi arabico simul trita aut spiritu vini soluta, affuso acido nitrico concentrato sive spiritu dulcificato colorem

coeruleum obtinent. Odore est debili subbenzoino; sapore subacri.

Colophonium immixtum dignoscitur, si genuinæ resinæ guajaci, parva spiritus vini rectificatissimi copia solutæ, exigua aquæ pars affunditur; resina tunc fundum petit, et sedimentum, si resina genuina est, addito liquore kali caustici, limpide, si immixtum est colophonium, turbulente solvitur.

☐ **Saccharum album,** *hvidt Sukker.*

Sacchari officinarum (Gramineæ, Triandria), plantæ arundinaceæ palustris Indiæ orientalis, jam ubique inter tropicos cultæ, succus dulcis expressus, in officinis propriis lege artis coctione depuratus et in massam concretam redactus.

Saccharum Lactis, *Mælke-Sukker.*

E sero dulci lactis vaccin irecentis, in Helvetia præsertim coctione, separatione casei et evaparatione paratum in crustis occurrit densis vel massis cylindricis, crystallinis, cohærentibus, albis, subdiaphanis, saccharo communi durioribus, vel in panibus compactis, pulverulentis; sapore minus dulci et aqua minus solubile est quam saccharum commune.

☐ **Saccharum Saturni,** vide Plumbum aceticum crudum.

Sal Acetosellæ s. Oxalium, *Syresalt.*

Kali oxalicum acidum in officinis propriis e succo recenti expresso inprimis *Oxalidis Acetosellæ*, *O. strictæ* (Oxalideæ, Decandria), passim etiam *Rumicis acetosæ* et *R. Acetosellæ* (Polygoneæ, Hexandria), plantarum perennium indigenarum, depuratione et iterata crystallisatione paratum. Crystallos exhibet albas, subdiaphanas, aere constantes, sapore acerbo, acido.

Sal Acetosellæ purum igniendo in kali carbonicum mutetur; si nigrum fit, tartarus depuratus immixtus fuit; si reagentia acidum sulphuricum indicant, kali sulphurico adulteratum fuit.

Sal ammoniacum, vide Ammonium muriaticum.

— **anglicum,** vide Magnesia sulphurica.

— **commune,** vide Natrum muriaticum.

— **cornu cervi,** vide Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

Sandaraca, *Sandarak.*

Thujæ articulatæ (Coniferæ, Monoecia), arboris Africæ borealis, resina, granula referens subrotunda vel elongata, ex albido citrina, splendentia, pellucida, friabilia; odoris grati, saporis balsamici.

Sanguis Draconis, *Drageblod.*

Succus resinosus et e fructibus *Calami Draconis*, *C. Rotang*, *C. veri*, *C. rudentum* (Palmæ, Hexandria), arborum Indiæ orientalis, et ex trunco *Dracænæ Draconis* (Asparageæ, Hexandria), arboris Indiæ orientalis et Madeiræ, et *Pterocarpi Draconis* aliarumque *Pterocarpi* specierum (Leguminosæ, Diadelphia), arborum Indiæ occidentalis, exsudans et aere indurescens; obscure ruber; inodorus; sapore adstringente; jam in *baculis*, jam in *lacrymis*, jam in *granis*, jam in *placentis*, jam in *tabulis* occurrens.

☐ **Sapo domesticus,** *almindelig Sæbe.*

In officinis saponariis coctione sebi cum lixivio kali caustici sub finem addendo natro muriatico paratur.

☐ **Sapo hispanicus albus,** *hvid spansk Sæbe.*

In Europa meridionali coctione olei olivarum communis cum lixivio natri caustici paratus in sectis occurrit paralellipedis, oblongis, solidis, tactu sat mollibus, colore albido, odore et sapore proprio.

☐ **Sapo viridis,** *grön Sæbe.*

Præcipue in regionibus septentrionalibus coctione lixivii

saponarii kalini et olei cannabis vel adipis piscini, addito Indigo, paratur. Massam exhibet mollem, lubricam, tenacem, opacam; colore sordide viridescente; odore et sapore rancido.

Scammonium, *Scammonium.*

Convolvuli Scammonii (Convolvulaceæ, Pentandria), plantæ perennis orientalis, præsertim Syriæ et Natoliæ, radicis resectæ succus gummeo-resinosus, aere induratus, plerumque in massis occurrens compactis, levibus, friabilibus, nonnihil porosis, fractura nitentibus, cinereis vel viridescentibus, intus passim obscurioribus, pulverem albide griseum triturando præbentibus; odore debili nauseoso; sapore primum miti, postea nauseoso, acri, urente.

Secale cornutum, *Meeldröie.*

Semina monstrosa plurium graminum, inprimis autem *Secalis cerealis* (Gramineæ, Triandria), graminis apud nos culti, grana exhibentia elongata, $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ pollicem longa et 1—3 lineas crassa, opaca, subcylindrica, trigona, obtusa vel apice attenuata, plerumque plus minus curvata, sæpe ad longitudinem rugosa, extus colore obscure griseo-fusco seu violaceo, intus fuscescentia, farinosa: inodora, trita odorem nauseosum, mucidum emittentia; sapore debili, nauseoso, amariusculo.

☐ **Semen Amomi** s. **Piper jamaicense** s. **Pimenta,** *Allehaande.*

Myrti Pimentæ (Myrtaceæ, Icosandria), arboris Indiæ occidentalis, præsertim Jamaicæ, in India orientali cultæ, baccæ immaturæ, siccatæ, globosæ, pisi minoris magnitudine, saturate fuscæ, pericarpiis rugosis cinctæ, pedunculo brevi passim instructæ, odore et sapore aromatico, caryophyllino.

Semen Anethi, *Dild-Frö.*

Anethi graveolentis (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ Eu-

ropæ meridionalis, apud nos cultæ, semina ovata, striata, compressa, superficie altera plana, altera convexa, margine membranaceo; dilute fusca; odore fragrante; sapore aromatico.

☐ **Semen Anisi stellati,** *Stjern-Anis.*

Illicii anisati (Magnoliaceæ, Polyandria), arboris Japoniæ, Cochinchinæ et insularum Philippinarum, pericarpia stellata, coriacea, compressa, uno latere hiantia, fusca, seminibus ovatis, nitidis repleta; odore aromatico, grato; sapore aromatico, dulci.

☐ **Semen Anisi vulgaris,** *Anis.*

Pimpinellæ Anisi (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ annuæ orientalis, in Europa cultæ, semina rotunda, striata, subviridia, costis pallidioribus; odore forti, grate aromatico; sapore aromatico, subdulci.

☐ **Semen Cannabis,** *Hampe-Frö.*

Cannabis sativæ (Urticeæ, Dioecia), plantæ annuæ Orientis, frequenter cultæ, semina rotunda, glabra, cinerea, nitentia, fere inodora; sapore subnauseoso-oleoso, dulciusculo.

☐ **Semen Carvi,** *Kummen.*

Cari Carvi (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ perennis indigenæ, crebro cultæ, semina parva, oblonga, striata, fusca, costis filiformibus, pallidioribus; odore proprio, forti, aromatico; sapore aromatico, amariusculo.

☐ **Semen Cinæ s. Santonici,** *Ormefrö.*

Artemisiæ Contræ, A. santonicæ, A. glomeratæ, A. incultæ, A. judaicæ aliarumque *Artemisiæ* specierum (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), fruticulorum Persiæ, Syriæ, Palæstinæ frequentium, flores compositi, parvi, oblongi, ovati, glabri, subnitentes, subfusco-flavescentes, passim plus minus

in viride abeuntes; odore aromatico, subnauseoso; sapore amaro, acri.

Semen Colchici, *Colchicum-Frö, nögen Jomfrufrö.*

Colchici autumnalis, (Colchicaceæ, Hexandria), plantæ perennis in pratis depressis Europæ australis crescentis, semina matura, parva, globosa, rugoso-aspera, perdura, obscure fusca, inodora; sapore nauseoso, amaro.

□ **Semen Coriandri,** *Coriander.*

Coriandri sativi (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ annuæ Europæ meridionalis, apud nos cultæ, semina globosa, sublutea, odore et sapore aromatico.

Semen Cumini s. Cymini, *romersk Kummen.*

Cumini Cymini (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ annuæ orientalis, in Europa cultæ, semina oblonga, solida, striata, costis æqualibus, parvis, breviter setosis prædita, griseofusca; odore et sapore aromatico, subnauseoso.

□ **Semen Cydoniorum,** *Qvæde-Frö.*

Cydoniæ vulgaris s. *Pyri Cydoniæ* (Rosaceæ, Icosandria), arboris Orientis, in hortis cultæ, semina oblonga, acuta, convexo-plana, passim irregulariter angulosa, nitida, fusca, multa mucilagine cincta, inodora et fere insipida.

□ **Semen Foeniculi,** *Fennikel-Frö.*

Foeniculi vulgaris s. *Anethi Foeniculi* (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ biennis Europæ meridionalis, in hortis cultæ, semina oblonga, striata, e cinereo-pallida; odore grate aromatico, sapore subdulci.

Semen Foeni græci, *Bukkehornfrö.*

Trigonellæ Foeni græci (Leguminosæ, Diadelphia), plantæ annuæ Europæ meridionalis, semina compresso-subquadri-

gona, dura, glabra, lutea; odore forti, præcipue si triturantur nauseoso, melilotino; sapore nauseoso, amaro, farinoso.

□ **Semen Hordei, s. Hordeum,** *Byg.*

Hordei vulgaris, H. distichi, H. hexastichi aliarumque *Hordei* specierum (Gramineæ, Triandria), cerealium annuorum, semina notissima.

Semen Hyoscyami, *Bulme-Frö.*

Hyoscyami nigri (Solaneæ, Pentandria), plantæ perennis indigenæ, semina minuta, compressa, orbiculari-subreniformia, tuberculoso-rugosa, cinerea vel flavescente-fusca, fere inodora, sapore nauseoso-amariusculo, subacri, oleoso.

□ **Semen Lini,** *Hör-Frö.*

Lini usitatissimi (Lineæ, Pentandria), plantæ annuæ, crebro cultæ, semina oblongo-ovata, compressa, glaberrima, splendentia, fusca, inodora; sapore ingrate mucilaginoso, oleóso.

□ **Semen Lycopodii,** *Jordmos-Frö, Hexemeel.*

Lycopodii clavati (Lycopodiaceæ, Cryptogamia), plantæ perennis sylvaticæ, indigenæ, sporæ seminales, pulverem exhibentes sulphureum, subtilissimum, levem, sat pinguem, aquam respuentem, digitis adhærentem, flammæ injectum fulgurantem; inodorum et insipidum.

Semen Poeoniæ, *Pion-Frö.*

Poeoniæ officinalis (Ranunculaceæ, Polyandria), plantæ perennis alpinæ, in hortis cultæ, semina rotundo-ovalia, pisi magnitudine, rubro-nigra, glabra, splendentia, nucleum oleosum includentia; inodora; sapore miti, oleoso.

□ **Semen Papaveris albi,** *Valmue-Frö.*

Papaveris somniferi, varietatis seminibus albis (Papaveraceæ, Polyandria), plantæ annuæ orientalis, in Europa cultæ,

semina parva, globosa, albida, inodora; sapore miti, oleoso, dulciusculo.

□ **Semen Petroselini,** *Petersille-Frö.*

Apii Petroselini (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ biennis Sardiniæ, apud nos hortensis, semina parva, oblonga, striata, griseo-virescentia; odore gratiore petroselino; sapore acri, aromatico.

Semen Phellandrii, *Vandfennikel-Frö.*

Phellandrii aquatici (Umbelliferæ, Pentandria), plantæ perennis palustris, indigenæ, semina ovato-oblonga, latere nonnihil compressa, striata, e viridi subfusca; odore proprio forti, subnauseoso, aromatico; sapore ingrato, aromatico, acri.

††† **Semen Sabadillæ,** *Sabadille-Frö, Lusefrö.*

Veratri Sabadillæ (Colchicaceæ, Hexandria), plantæ perennis chinensis, semina, in carpello leguminaceo, flavescente, terno, connato, oblongo, acuto plerumque inclusa, elongata, irregulariter angulosa et rugosa, fusco-nigra, nitentia, intus alba, inodora, sapore acerrimo, caustico.

□ **Semen Sinapis albæ s. Erucæ,** *hvid Sennop.*

Sinapis albæ (Cruciferæ, Tetradynamia), plantæ annuæ, passim indigenæ et cultæ, semina parva, globosa, lutescentia, inodora, sapore oleoso, peracri.

□ **Semen Sinapis nigræ,** *sort Sennop.*

Sinapis nigræ (Cruciferæ, Tetradynamia), plantæ annuæ, indigenæ et cultæ, semina seminibus Sinapis albæ majora, globosa, nigricantia; inodora, trita et aqua humectata odorem acri-volatilem, lacrymas elicientem, emittentia; sapore peracri, amariusculo.

††† **Semen Stramonii,** *Pigæble-Frö.*

Daturæ Stramonii (Solaneæ, Pentandria), plantæ annuæ

originis americanæ, apud nos passim crescentis, semina compressa, reniformia, subrugosa, fusco-nigra; inodora, trita odore nauseoso; sapore nauseoso-amariusculo, subacri.

□ **Semen Tanaceti,** *Reinfand-Frö.*

Tanaceti vulgaris (Synantheræ Corymbiferæ, Syngenesia), plantæ perennis indigenæ, semina parva, oblonga, striata, griseo-fusca, odore florum sed minus penetrante, sapore nauseoso, amaro.

□ **Semen Tritici,** *Hvede.*

Tritici vulgaris aliarumque *Tritici* specierum (Gramineæ, Triandria), plantarum originis incertæ, semina notissima.

□ **Sevum bovinum,** *Oxe-Talg.*

E capsulis adiposis inprimis renum et omenti *Bovis Tauri* (Mammiferæ, Ruminantia) eliquatione obtinetur. Est coloris albi, plerumque tamen subflavescentis.

□ **Sevum cervinum,** *Hjorte-Talg.*

Ex iisdem partibus *Cervi Elaphi* (Mammiferæ, Ruminantia) pari modo obtinetur; color autem albior est, et consistentia durior.

Sevum ovillum, *Faare-Talg.*

Ex *Ovi Ariete* (Mammiferæ, Ruminantia) simili modo paratur.

Spathum ponderosum, vide Baryta sulphurica.

□ **Sperma Ceti s. Cetaceum,** *Hvalrav.*

Materia pingvis præcipue in cavitate cranii *Physeteris macrocephali* (Mammalia, Cetacea), animalis ingentis piscini oceanum inhabitantis, contenta, quæ, facta eliquatione et depuratione, in frustulis occurrit irregularibus vel in glebis

majoribus, foliaceo-crystallinis, candidis, subpellucidis, tactu lubrico-pinguibus; odore debili piscino, sapore miti.

□ **Spiritus Vini gallici,** *fransk Brændeviin.*

Liquor limpidus, præcipue e vinis gallicis et vinaceis fermentationi vinosæ subjectis destillatione paratus, inflammabilis, colore flavescente, odore et sapore grato, spirituoso, pondere specifico 0,94—0,95.

□ **Spiritus Vini gallici fortior,** *Sprit.*

Liquor decolor aut sæpius flavescens, priori fortior, pondere specifico 0,875—0,885.

Spongia, *Svamp.*

Est *Spongia officinalis*, Zoophytum marinum, fundum maris mediterranei, Archipelagi græci et maris rubri præcipue inhabitans, suborbiculare vel irregulariter rotundum, sæpius plus minus lobatum, magnitudine pugni et ultra, foraminibus parvis instructum et concretiones lapideas continens, colore fuscescente aut lutescente.

Sit pura, concrementis lapideis purgata.

Stannum, *Tin.*

Metallum album, ductile, molle, quod e mineris Stanni oxydati præcipue in Anglia et India orientali obtinetur.

Stipites Dulcamaræ, *Bittersöd.*

Solani Dulcamaræ (Solaneæ, Pentandria), fruticis scandentis perennis, indigeni, rami biennes vel triennes, subangulosi, rugosi, flexuosi, epidermide tenui, pallide flavescente-grisea et cortice viridi tecti, intus læte virescentes vel flavescentes; odore nauseoso, siccati fere inodori; sapore primum ingrato, amaro, postea irritante, dulci.

Storax, *Storax.*

Styracis officinalis (Styraceæ, Decandria), fruticis seu

arboris mediocris Orientis et Europæ meridionalis, gummi-resina trunco vulnerato exsudans, variis materiis autem plus minusve semper intermixta. Optima species est *Storax in granis*, *calamita* dicta, glebas exhibens irregulares rubro-seu nigro-fuscas, opacas, tenaces, odore fragranti, grate aromatico, sapore sat irritante, quæ autem rarissime prostat; in officinis sæpius occurrit *Scobs storacina*, massas formans magnas, compactas, rubro-fuscas, ex scobe ligni, styrace liquida aliisque resinis balsamico-aromaticis fraudulenter parata.

Strobuli s. Coni Lupuli, *Humle.*

Humuli Lupuli (Urticeæ, Dioecia), plantæ perennis Germaniæ, apud nos cultæ, amenta foeminea matura, odore aromatico, subnarcotico, sapore amaro.

Styrax liquida, *Styrax-Balsam.*

Liquidambaris styracifluæ (Salicineæ, Monoecia), arboris Americæ septentrionalis, balsamum e trunco et ramis obtentum, spissum, extracti consistentia, glutinosum; colore griseo in viridem vergente, odore grate balsamico, subvanillino; sapore haud ingrato, aromatico.

Succinum, *Rav.*

Bitumen proprium solidum, fragile, pellucidum, colore stramineo aut rufo, variæ magnitudinis, carbonibus impositum odorem gratum, specificum spargens. In oris maris baltici, inprimis ad litora Borussiæ et Pomeraniæ, sæpissime colligitur.

□ **Succus Glycyrrhizæ, s. Liquiritiæ,** *Lakrits-Saft.*

Glycyrrhizæ glabræ et *G. echinatæ* (vide Radicem Glycyrrhizæ) extractum præcipue in Hispania et Italia e radice recente coctione et inspissatione paratum, in baculis occur-

rens cylindricis, fusco-nigris, sat nitentibus, foliis Lauri plerumque obvolutis, durum, densum, fractura nitens, aqua omnino solubile; odore debili, haud grato, dulciusculo; sapore dulci, subacri.

Sit siccus, quisquiliis expers. Cupro inquinatus succus rejiciatur.

□ **Sulphur,** *Svovel.*

Substantia inflammabilis, quæ nativa in montibus, inprimis vulcaneis, admodum dispersa reperitur; e minera ferri sulphurati fortissimo igne sæpissime expellitur. In cylindris occurrit solidis, friabilibus, impellucidis, subnitentibus, inodoris, insipidis.

□ **Sulphur depuratum** s. **Flores Sulphuris,** *Svovelblomme.*

In officinis chemicis e sulphure aut e mineris sulphureis sublimatione obtentus pulvis subtilissimus, inter digitos contritus stridens, coloris citrini; igne expositus flamma coerulea et odore suffocante comburens. Acido sulphurico adhærente plerumque inquinatum est.

Cave, ne insit arsenicum aut selenium, quod colore in aurantiacum vergente, odore inter comburendum alliaceo vel raphani et reagentiis proditur.

□ **Tamarindi,** s. **Fructus Tamarindorum,** *Tamarinder.*

Tamarindi indicæ (Leguminosæ, Monadelphia), arboris utriusque Indiæ, fructus vel leguminum pulpa tenax, mollis, e nigro fusca, seminibus compressis, læte fuscis, nitentibus, perduris atque membranis fibrisque intermixta; odore proprio vinoso; sapore grate acido.

Mucidi et fermentatione corrupti rejiciantur. Cuprum non insit, quod lamina ferrea polita decocto aquoso tamarindorum imposita detegitur.

□ **Tartarus crudus,** *raa Viinsteen.*

Sal nativus acidus, ex acido tartarico et kali constans,

qui in doliis ex vino, in iis servato, crustæ crystallinæ instar secernitur. Præsertim e Gallia advehitur. Est durus, fragilis, tactu asper, jam albidus (*Tartarus albus*), jam ruber (*Tartarus ruber*), sapore acidulo.

□ **Tartarus depuratus venalis s. Crystalli Tartari,** *renset Viinsteen.*

Sal acidus in propriis officinis Europæ meridionalis, inprimis Galliæ meridionalis, e tartaro crudo, iterata solutione, depuratione et crystallisatione paratus, crystallos exhibens duras, albas, saporis acidi, temperatura media 170—180 aquæ partibus, 26—28 partibus aquæ bullientis solubiles.

Cupro haud sit inquinatus, quod detegitur, si solutioni hujus salis aqua hydrothionica affusa sedimentum nigro-fuscum, aut kali ferreo-borussicum solutum sedimentum rufum efficiat.

□ **Terebinthina communis,** *almindelig Terpentin.*

Pini sylvestris (Coniferæ, Monoecia), arboris indigenæ, balsamum e trunco vulnerato effluens, spissum, viscidum, album seu pallide flavescente-griseum, opacum, granulosum; odore forti resinoso, sapore irritante, amaro.

□ **Terebinthina veneta s. laricina,** *venetiansk Terpentin.*

Pini Laricis (Coniferæ, Monoecia), arboris Europæ meridionalis, balsamum trunci vulneratione effluens, subflavescens, pellucidum, consistentia mellis tenuis, tenacissimum; odore gratiore terebinthaceo simulque citreo, sapore balsamico, amaro.

Tutia s. Nihilum griseum, *graat Intet.*

Zincum oxydatum impurum, quod unacum nihilo albo in officinis metallariis e mineris Zinci sublimatione obtinetur, crustas exhibens concavas vel convolutas, densas, duras, griseas, inodoras, insipidas.

Vanilla, *Vanille.*

Vanillæ aromaticæ (Orchideæ, Gynandria), fruticis parasitici Americæ meridionalis, in Mexico præcipue culti, siliqua compressa, utrinque attenuata, flexilis, nitens, longitudine 6 fere pollicum, crassitie calami scriptorii, coloris atro-fusci, medulla pingui, rufescente, semina numerosissima, minutissima continente, sarta; odore balsamico-benzoino, sapore grato, aromatico.

☐ **Vinum,** *Viin.*

Liquor notissimus spirituosus, plus minus grate acidulus et dulcis, qui fermentatione vinosa succi baccarum *Vitis viniferæ* (Ampelideæ, Pentandria) obtinetur. In usum pharmaceuticum præsertim veniunt: *Vinum gallicum album*, *Vinum rhenanum*, *Vinum malacense.*

Viscum album, *Fugleliim.*

Visci albi (Loranthaceæ, Dioecia), fruticis parasitici indigeni, ramis arborum variarum, inprimis *Quercus*, *Fagi*, *Tiliæ*, annosioribus increscentis, ramuli dichotomi, flavescentes una cum foliis e flavo viridibus, odore mucido, subnarcotico, sapore amariusculo.

☐ **Zincum,** *Zink*, *Spiauter.*

Metallum ex albido coerulescens, rigidum, tenax, in officinis metallariis e mineris Zinci sublimatione seu destillatione paratum.

PARS POSTERIOR,

PRÆPARATA OFFICINARUM CONTINENS.

Acetum aromaticum.

(*Loco Aceti bezoardici et prophylactici.*)

Krydder-Eddike.

Rc. Herbæ Absinthii,
— Rorismarini,
— Salviæ,
— Menthæ piperitæ,
singulorum Uncias duas,
Corticis Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum,
Granorum Paradisi,
singulorum Drachmas duas,
Aceti Vini Libras octo.

Quibus per quatriduum solito modo digestis, liquori colato et fortiter expresso addantur

Spiritus Rorismarini Unciæ quatuor.

Acetum Colchici.

Colchicum-Eddike.

Rc. Radicis Colchici recentis minutim concisæ Uncias quatuor,
Aceti Vini Libras quatuor.

Post macerationem per hebdomadem in vitro vesica clauso, liquori colato, non expresso admisceantur

Spiritus Vini rectificati Unciæ duæ.

Ante filtrandum est hoc acetum, quam solito modo servetur.

□ Acetum concentratum.

(Loco Acidi acetici.)

Concentreret Eddike.

***Rc.* Plumbi acetici depurati triti Uncias triginta duas.**

Quem pulverem in cucurbitam tam amplam immitte, ut hæc, omnibus ad hoc præparatum efficiendum ingestis, non ultra dimidium voluminis impleatur. Ut caveatur, ne adscendat massa destillanda, necesse est, collum cucurbitæ sit longitudine pedis vel sesquipedis. Pluribus stratis chartæ, luto e farina et pulvere carbonum confecto illitæ, collum et fornix cucurbitæ obtegatur, quo pravus caloris conductor efficiatur et impediatur, ne vapores ante condensentur, quam in excipulum transferantur. Quo facto et cucurbita balneo arenæ simul immissa, miscela ex

Acidi sulphurici concentrati Unciis novem,
Aquæ communis Unciis quatuor cum dimidia

affundatur. Deinde luto solito farinaceo cum cucurbita jungatur alembicus, ope luti carbonati obtectus, tandemque adaptetur excipulum amplum. Luto siccato, igne primum leni, deinde tantum aucto, ut ebullitio vix efficiatur, massa ad siccitatem usque destilletur. Aquæ frigidæ ope excipulum continuo est refrigerandum. Si acidum, quod ita obtinetur, aut empyreumaticum aut acido sulphurico inquinatum est, supra unciam mangani hyperoxydati nativi et unciam dimidiam kali acetici rectificetur. In vitro, epistomio vitreo bene clauso, servandum est acetum.

Coloris sit hyalini, saporis acerrimi acidi, odoris proprii penetrantis, grati neque empyreumatici neque sulphurosi, ponderis specifici 1,055—1,06. Calore omnino avolare ejusque partibus duabus una kali carbonici sicci saturari debet. Si acidum sulphuricum continet, liquore barytæ nitricæ addito sedimentum barytæ sulphuricæ efficitur. Instillatus liquor argenti nitrici acidum muriaticum, et affusa aqua hydrothionica plumbum prodit.

□ Acetum dilutum.

(Loco Aceti destillati.)

Fortyndet Eddike.

Rc. **Aceti concentrati Partem unam,**
Aquæ destillatæ Partes septem.

Misceantur.

Sit ponderis specifici 1,012—1,013 et uncia una ope drachmæ dimidiæ kali carbonici puri sicci saturetur.

Nota. Si medicus acetum destillatum præscribit, hoc semper dispensetur, sicuti etiam si in formulis præscriptis acetum vini ad alcalia saturanda requiritur.

Acetum Rubi idæi.

Hinbær-Eddike.

Rc. **Succi Fructuum Rubi idæi maturorum expressi Libras duas,**
Aceti Vini Mensuræ quadrantem.

In vase vitreo commixta stent per biduum, ut fæces fundum petant. Liquori dein per colum limpide decanthato addatur

Sacchari albi Libra una cum dimidia.

Leni igne ad solutionem sacchari usque digerantur. Acetum frigefactum lagenis vitreis, probe obturandis, limpide infundatur.

□ Acetum saturninum.

(Liquor Acetatis triplumbici.)

Loco Extracti Saturni.

Bly-Eddike.

Rc. **Plumbi acetici depurati Uncias sex.**

Exacte misceantur cum

Lithargyri lævigati Unciis tribus.

Quibus in lagenam vitream immissis addantur

Aquæ destillatæ Partes viginti et una.

Subinde agitando vas seponatur, donec color ruber sedimenti plane evanuerit. Tum filtretur liquor et servetur.

Liquor aquæ adinstar limpidus colorem chartæ rhabarbaro aut curcuma tinctæ in fuscum permutet. Pondus specificum hujus liquoris sit 1,23—1,24, quare in formulis præscribendis bene animadvertendum est, extractum saturni ad pharmacopoeam danicam anno 1805 editam paratum esse ponderis specifici 1,5. — Cuprum si aceto saturnino inest, affuso liquore ammonii caustici detegi potest, quum liquor sedimento innatans coeruleum obtineat colorem.

□ Acetum scilliticum.

Strandlög-Eddike.

Rc. **Radicis Scillæ siccatæ minutim concisæ Uncias duas,**

Aceti Vini Libras duas.

Per octiduum in vase vitreo digerantur. Tum aceto colato addatur

Spiritus Vini rectificatissimi Uncia.

Tandem, quum subsederint fæces, acetum est filtrandum et in vitro bene clauso usui servandum.

□ Acidum benzoicum.

(Flores Benzoes.)

Benzoe-Syre, Benzoeblomster.

Rc. **Benzoës in pulverem haud nimis subtilem tritæ quantum vis.**

In crucibulum aut ollam figulinam immittatur, cujus orificio conus charta bibula densa confectus imponatur. Vas deinde per plures horas tanto calori, quo resina fluat neque tamen destruatur, exponatur. Sæpius mutandus est conus chartaceus, qui inter sublimandum oleo imbuitur; crystalli autem aciculares in parietibus coni sublimatione condensatæ a charta ope plumæ abstergendæ. Pergat sublimatio, donec acidum colorem fuscum obtinere incipiat.

Sint crystalli aciculares vel squamosæ, coloris sericeo-nitentes, odoris vanillæ haud dissimilis, saporis debilis, acidi, stimulantis, aëri expositæ constantes. Ducentis partibus aquæ frigidæ, viginti quatuor partibus aquæ bullientis, spiritu vini rectificatissimo facillime solvantur. Igni expositæ facile fundantur et omnino avolent.

Acidum hydrocyanicum seu borussicum.

Blaasyre.

Rc. **Kali borussici venalis a quisquiliis liberi Unciam.**

In retortulam tubulatam immittatur, cujus cum rostro tubus rectangulus apto modo ita conjungatur, ut extremitas altera in vitrum cylindricum satis altum, quod

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias quatuor

continet, inire et rursus emitti facile possit. Per tubulum retortulæ mixtio ex

Acidi sulphurici concentrati rectificati Uncia dimidia,
Aquæ destillatæ Uncia

antea facta sedulo ingeratur. Juncturis bene clausis cylindroque spiritum continente mixtioni refrigeranti imposito, fiat

destillatio ex balneo vaporis, quamdiu acidum aëriforme evolvatur, quod eo cognoscitur, ut liquor, qui in extremitate descendente tubi contineatur, non egredi sed potius adscendere tendat. Inter destillandum ebullitio aquæ, cui retortula imposita est, continuo servetur, atque si calor aquæ bullientis haud sufficiat, frustulis chloreti calcii aquæ immersis hic augeri potest. Destillatione peracta, e cylindro mox excipiendus est tubulus rectangulus, et acido hydrocyanico, quod cylindro continetur, admisceatur

Spiritus Vini rectificatissimi tantum,

ut pondus totius liquoris sit unciarum sex. Tum acidum ita paratum vitris unciæ dimidiæ capacibus infundatur, in quibus, epistomiis vitreis bene obturatis et charta nigra obtectis, cautissime servetur.

Sit coloris hyalini, odoris spirituosi et simul amygdalarum amararum. Si granis centum hujus acidi hydrocyanici liquore kali caustici saturatis solutio muriatis ferrici et paucæ guttæ acidi muriatici adduntur, sedimentum ferri borussici oritur, quod siccatum grana quatuor ponderari debet.

☐ Acidum muriaticum concentratum.

(Acidum hydrochloricum, Acidum Salis, Spiritus Salis fumans.)

Concentreret Saltsyre.

***Rc.* Natri muriatici Partes centum.**

Immittantur retortæ tubulatæ satis amplæ, cujus cum tubo securitatis causa conjunctus est alius tubus, per quem

Acidi sulphurici concentrati partes octoginta quatuor

sensim et caute infundantur, ne aër acidi muriatici evolutus e retorta auferatur. Sponte autem patet, excipulum tubulatum ante esse apponendum et retortam balneo arenæ immittendam, quam acidum sulphuricum infundatur. Cum excipulo per tubulum ejus lagenæ duæ Woulfianæ, quarum prior aquæ

destillatæ libras tres, quæ tamen nonnisi dimidium hujus voluminis occupent, posterior libram unam aquæ destillatæ contineat, solito modo communicent. Quo facto juncturisque ope luti bene cohærentis clausis, fiat destillatio igne primum leni, deinde autem sensim tam adaucto, ut massa destillanda sub finem perfecte sicca fiat neque amplius aër evolvatur. Necesse est inter destillandum lagenæ Woulfianæ bene refrigerentur. In excipulo continetur acidum concentratissimum, quod, quum plerumque partibus heterogeneis inquinatum sit, usui medico haud convenit. Priori autem lagenæ Woulfianæ inest acidum muriaticum purum et satis concentratum; quod enim posteriore continetur, dilutius est, et ad acidum muriaticum dilutum adhiberi potest, si pondus ejus specificum cognoveris.

Sit hyalinum, odoris proprii pungentis, vapores albos edens, ponderis specifici, 1,145—1,15. Acidum sulphuricum si inest, liquore barytæ muriaticæ, ferrum liquore kali borussici, detegi potest.

□ Acidum muriaticum dilutum.

Fortyndet Saltsyre.

Rc. **Acidi muriatici concentrati Partem unam.**

Aquæ destillatæ Partes tres vel quantum sufficit (si acidum, quod adhibetur, minus est concentratum) ut pondus specificum sit 1,03.

Misceantur.

Nota. Si medicus acidum muriaticum præscribit, hoc dilutum dispensetur.

□ Acidum nitricum concentratum.

(*Spiritus Nitri fumans.*)

Concentreret Salpeter-Syre.

Rc. Kali nitrici depurati pulverati Partes centum.

Immittantur retortæ tam amplæ, ut nitrum nonnisi dimidium ejus volumen impleat. Ope infundibuli tubo longo instructi per rostrum retortæ

Acidi sulphurici concentrati Partes nonaginta septem

caute et retortam subinde agitando affundantur. Sedulo cavendum est, ne lateribus rostri retortæ acidum sulphuricum affusum adhæreat, quare melius est retortam tubulatam adhibere.

Retortæ balneo arenæ immissæ adjungatur excipulum amplum tubulatum, cujus in tubum inferatur alius tubus tenuis, ut per hunc aëres non condensati exire et in aquam duci possint, ne iis excipulum disrumpatur. Loco excipuli tubulati non tubulatum quidem adhiberi potest, tunc autem tubus tenuis inter commissuram retortæ et excipuli applicari debet. Ope luti e bolo alba et vernice olei lini confecti et linteis illiti juncturæ bene claudantur. Luto siccato, fiat deinde destillatio, dum bene refrigeretur excipulum. Initio ignis sit remissior, postea autem sensim augeatur, donec massa, quæ retorta continetur, fundatur. Acidum ita paratum in vitro, cujus epistomium vitreum cera simul circumdatur, loco umbroso servetur.

Coloris sit aurantiaci et vapores pariter tinctos edat, ponderis specifici 1,44—1,46. Cum decuplo aquæ destillatæ commixtum, addito liquore barytæ nitricæ, nullum omnino sedimentum oriatur, et, si liquor argenti nitrici additur, mixtio aut nullum aut levem saltem colorem opalinum inducat. Affusa aqua hydrothionica non prodat metalla.

□ Acidum nitricum.

(*Acidum nitricum tenue.*)

Fortyndet Salpeter-Syre.

Rc. **Kali nitrici depurati pulverati Libras quatuor.**

Quibus in retortam vitream satis capacem immissis, affunde

Acidi sulphurici concentrati Libras duas cum dimidia,

Aquæ communis Parte dimidia

antea caute dilutas. Applicetur excipulum amplum, cui

Aquæ destillatæ Libræ duæ cum dimidia

antea sunt immissæ. Fiat destillatio e balneo arenæ iisdem cautelis, quæ de acido nitrico concentrato notatæ sunt.

Acido elicito caute instilletur

Argentum nitricum solutum,

quamdiu inde fit turbidum, cavendo, ne nimia liquoris argenti nitrici pars addatur. Seponatur liquor per aliquot dies, ut bene præcipitetur chloretum argenti. Acidum tum limpide decanthatum ad siccum fere destillando rectificetur.

Sit coloris expers, limpidum, odoris proprii pungentis, ponderis specifici 1,195—1,205. Acidum sulphuricum aut muriaticum, si hoc acido continetur, liquore barytæ nitricæ et argenti nitrici explorari potest.

Acidum phosphoricum siccum.

Phosphor-Syre.

Rc. **Ossium ad albedinem ustorum Libras duas cum dimidia.**

Quibus subtilissime pulveratis adde

Aquæ communis Libras decem,

et deinde continuo agitando sensim affunde

Acidi sulphurici venalis Libras duas.

Subinde agitando per viginti quatuor horas miscela seponatur, cui deinde addantur

Aquæ communis Libræ quindecim.

Continuo agitando in lebete stanneo per horam ebulliant. Liquorem colatum et ope preli separatum, evaporatione ad syrupi spissitudinem redactum cum

Spiritus Vini rectificatissimi duplo

misce, filtra atque quod in filtro remanet cum spiritu vini rectificatissimo elue. Ope destillationis e retorta spiritus ad acidum extrahendum adhibitum abstrahi potest. Acidum e retorta exemtum dein in vase puro argenteo igni tam forti exponatur, donec olei instar fluat et in laminam frigidam effusum durescat. Si fuscum apparet repetita solutione, filtratione et fusione depurari potest. Acidum adhuc calidum in vitrum, epistomio vitreo bene munitum, immissum loco sicco servetur.

Sit pellucidum, incolor, glaciai speciem aliquantum referens, aëre deliquescens, saporis intense acidi puri sed non caustici, æquali aquæ parte et quatuor partibus spiritus vini rectificatissimi prorsus solvatur. Decem aquæ partibus solutum neque liquore barytæ nitricæ neque ammonii oxalici sedimentum demittat.

Acidum phosphoricum dilutum.

Fortyndet Phosphor-Syre.

Rc. **Acidi phosphorici sicci Partem.**
Aquæ destillatæ Partes septem.

Solvantur.

Sit limpidum, coloris expers, inodorum, saporis acidi haud ingrati, ponderis specifici 1,08—1,09.

Nota. Si medicus acidum phosphoricum præscribit, hoc dilutum dispensetur.

Acidum pyrolignosum rectificatum.

Rectificeret sveden Træ-Syre.

Acidum pyrolignosum crudum retortæ vitreæ immitte et leni igne tres quadrantes partes elice. In vase vitreo bene clauso servetur.

Acidum succinicum depuratum.

Renset Rav-Syre.

Acidum succinicum crudum aqua destillata solvatur. Liquor filtretur et post evaporationem sufficientem ad crystallisationem seponatur, quod repetatur, quamdiu crystalli non nimis flavescentes exinde oriantur.

Sint crystalli tabulares, subcohærentes, vix flavescentes, spiritu vini solubiles, igne avolantes. Cum calcaria usta tritæ odorem ammonii non exhalent.

□ Acidum sulphuricum depuratum s. rectificatum.

Renset eller rectificeret Svovel-Syre.

Acidum sulphuricum venale ope infundibuli vitrei, longo tubo instructi, retortæ vitreæ tam amplæ immittatur, ut tres quadrantes ejus voluminis partes tantum impleantur. Tum antequam retorta, cujus situs admodum proclivis esse debet, balneo arenæ immittatur, frustula vitrea aut melius aliquot fila aut laminæ platinæ convolutæ simul inducantur. Excipulum sit amplum et cum retorta sine luto conjungatur. Sedecima prima pars liquoris prodeuntis rejiciatur. Acidum obtentum in vasis vitreis epistomio vitreo bene munitis servetur.

Sit hyalinum, ponderis specifici 1,84—1,85 atque cochleari platineo immissum ope ignis omnino avolet. Si acidum nitricum inest, aër nitrosus evolvitur, si laminæ cupreæ ei immergantur; acidum muriaticum detegi potest, si hyperoxydum mangani bene elotum et siccatum, quo chlorum evolvitur, additur. Aquæ destillatæ partibus duodecim dilutum et liquore ammonii caustici saturatum limpidum persistat, aliter enim inest aut argilla, aut ferrum, aut plumbum. Utrum arsenicum insit, explorari potest, si acido saturato et paucis guttis acidi muriatici iterum acidulato aqua hydrothionica additur.

□ Acidum sulphuricum dilutum.

(*Spiritus Vitrioli.*)

Fortyndet Svovel-Syre, Vitriol-Spiritus.

Rc. **Aquæ destillatæ Partes sex.**

Quibus sensim instilletur

Acidi sulphurici rectificati Pars una.

Bene misceantur.

Acidum tannicum s. Tannin-um purum

□ Acidum tartaricum.

(*Sal essentiale Tartari.*)

Viinsteen-Syre.

Rc. **Cretæ albæ, bene elotæ, siccatæ Uncias sedecim, Aquæ communis Libras viginti.**

Ebulliant in lebete stanneo, dum liquori ebullienti sensim immittantur

Tartari depurati, subtilissime pulverati Libræ quinque circiter vel quantum requiritur,

ut saturatio perfecta efficiatur. Vas ab igne remotum seponatur, ut calcaria tartarica subsidat. Liquori decanthato, qui kali tartaricum continet, admisce

Calcariam muriaticam,

aquæ destillatæ quantitate sufficiente solutam, quamdiu sedimentum enascitur. Calcaria tartarica, quæ inde obtinetur, priori parti, ebullitione cretæ et crystallorum tartari effectæ, addatur, et deinde aqua calida sæpius abluta siccetur. Partibus hujus sedecim, quintuplo aquæ destillatæ calidæ dilutis, adde

Acidi sulphurici venalis Partes septem,

aquæ destillatæ duplo antea dilutas. (Unciæ circiter triginta duæ acidi sulphurici requiruntur, si ad acidum tartaricum parandum supra præscripta tartari depurati pars adhibeatur).

Bacillo vitreo sæpius agitando per horas viginti quatuor digerantur. Liquor acidus deinde decanthetur, pars remanens exprimatur, et aqua destillata abluatur, donec plane insipida defluat. Liquores acidi commixti, per aliquot horas sepositi et deinde colati, ad syrupi tenuioris spissitudinem in vase vitreo aut porcellaneo leni igne evaporentur; tum per horas viginti quatuor sepositi denuo colentur et lenta evaporatione in crystallos redigantur, quæ operatio repetatur, quamdiu crystalli sat albæ prodeant. Ita omnes crystalli collectæ et bene siccatæ serventur.

Sint crystalli coloris expertes, saporis peracidi, aëri expositæ persistentes; si enim humiditatem aëris attrahunt, acidum sulphuricum continent, quod liquore barytæ muriaticæ affuso cognoscitur. Partibus duabus aquæ destillatæ, etiam spiritu vini rectificatissimo sint solubiles. Calcaria sulphurica aut tartarica si inest, fundum petit e solutione acidi spiritu vini facta.

Aether aceticus.

(Naphtha Aceti.)

Eddike-Æther.

***Rc.* Plumbi acetici triti Uncias viginti.**

Quibus immissis in cucurbitam collo longo instructam et tam amplam, ut tantum dimidia ejus voluminis pars partibus destillandis impleatur, adde miscelam ex

Spiritus Vini alcoholisati Unciis decem,

Acidi sulphurici venalis Unciis undecim cum dimidia

prævio factam et refrigeratam. Ope chartæ luto farinaceo illitæ et vesicæ humidæ alembicus cucurbitæ apponatur et excipulum amplum, glacie contusa aut aqua frigida, continuo instillante, refrigerandum, rostro alembici adaptetur, quorum juncturæ ope vesicæ humidæ connectantur, quæ, ut aër, qui apparatu continetur et inter destillandum expanditur exire possit, acu tenuissima perforetur. Luto siccato, fiat

destillatio e balneo arenæ igne tanto, ut mox ebulliat liquor, donec unciæ decem abstractæ sint. Liquori ita destillato addatur mixtionis ex

Aquæ communis,

Liquoris Kali acetici Partibus æqualibus

antea paratæ tantum, quantum ad ætherem separandum requiritur. Tum ætherem ope infundibuli separatorii separatum supra magnesiam ustam et pulverem carbonum rectifica. In vitris minoribus epistomiis vitreis munitis loco frigido optime servetur.

Sit liquor admodum volatilis, coloris expers, odoris proprii, grati, acidum aceticum et ætherem referentis, saporis etiam grati, refrigerantis, aromatici, ponderis specifici 0,88—0,89. Chartam exploratoriam coeruleam non rubefaciat, neque minore quantitate, quam septem partibus aquæ destillatæ solvatur. Plumbum quod inest aqua hydrothionica affusa detegi potest.

Aether phosphoratus.

Phosphorholdig Æther.

Rc. **Phosphori, ope chartæ bibulæ siccati grana sex.**

Quibus dissectis infundatur

Aetheris sulphurici Uncia,

quæ in vitrum bene clausum per quatuor dies sæpius agitando seponantur. Tum liquor a phosphoro haud soluto decanthetur et in vitris drachmarum duarum capacibus et bene clausis loco umbroso tamdiu servetur, donec phosphorus non amplius excernatur.

Sit limpidus, odorem phosphoreum edens.

□ Aether sulphuricus.

(*Naphtha Vitrioli.*)

Svovel-Æther, Naphtha-Draaber.

Rc. **Acidi sulphurici venalis Partes novem,**
Spiritus Vini rectificatissimi Partes quinque,

Quæ intime antea mixta in retortam tubulatam satis capacem et balneo arenæ impositam immittantur. Per epistomium subereum, tubum bene obturans, inducatur tubus, diametro 3—4 linearum, cujus altera extremitas, in miscelam ætheris pollicem circiter immersa, in apicem ad diametrum lineæ extenuata est; altera extremitas infundibulo parvo conjuncta est, quod spiritum e vitro, embolo quodam (danice «*Hane*» quod vocatur) instructo et altiore loco posito, stillantem excipere et deinde per tubum attenuatum in miscelam ætheris inducere potest. (Loco vitri, embolo instructi, ipsum infundibulum eo instructum esse potest et tunc, aliqua spiritus parte infundibulo immissa, embolum ita aperiri potest, ut spiritus in miscelam ætheris guttatim instillet). Rostro retortæ adaptetur tubus intermedius vitreus longitudine 2—3 pedum, qui alio tubo ferreo ita circumdatus est, ut uterque tubus pollicem circiter distet, quorum extremitates suberibus connectæ sunt. In superficie superiore tubi ferrei prope extremitates tubuli duo facti sunt, quorum per alterum influit, ex altero effluit aqua, qua tubus intermedius vitreus refrigeratur. Tubulus, per quem influit aqua refrigerans, sit infundibuliformis et aliquantulum longior, quia excipulo propior ideoque declivius positus est; ex altero breviore tubulo, retortæ propiore ideoque altius posito aqua refrigerans effluit. Excipulum adaptandum bene refrigeretur, quod ita effici potest, ut in chartam, quæ ei imponatur, aqua frigida continuo stillet; hyeme nive excipulum circumdari potest. Apparatu ita instructo, primum ebulliat miscela ætheris, tum autem per tubum (de quo supra locuti sumus et quo suber tubum retortæ occludens perforatum est) instillet

spiritus rectificatissimus, dum respiciatur, ut miscela ætheris in retorta eandem continuo servet altitudinem, quod optime cernitur, si ope chartæ albæ retortæ impositæ nota antea facta est. Operatio tamdiu pergat, donec copia ætheris parati quintuplum pondus acidi sulphurici adhibiti æquet.

Partibus duodecim ætheris ita parati addantur

Aquæ communis Partes tres,
Liquoris Kali caustici Pars una,

quæ vase clauso simul conquassentur. Aether innatans a reliquo fluido ope infundibuli separatorii separetur et super pulverem carbonum et unciam dimidiam magnesiæ ustæ calore blandissimo ita rectificetur, ut circiter quarta pars remaneat. Interest, excipulum, quod ad ætherem rectificatum excipiendum adhibetur, esse tubulatum, ejusque cum tubo lagenam Woulfianam aliqua spiritus parte impletam conjunctam esse, quæ vaporem æthereum, in retorta alias expansum, absorbere possit. In vasis vitreis omnino implendis et bene claudendis loco frigido æther servetur.

Sit coloris expers, odoris grati, penetrantis, acidum sulphurosum non prodentis, saporis refrigerantis, nonnihil acris, aromatici. Chartam exploratoriam coeruleam non rubefaciat. Partes decem aquæ unam tantum ætheris absorbeant neque admodum minuatur volumen ætheris, si in tubo accurate graduato cum æquali parte aquæ commisceatur. Pondus specificum 0,73 non excedat.

□ Alumen ustum.

Brændt Alun.

***Rc.* Aluminis crudi quantum vis.**

In crucibulo aut olla fictili non vitreata, tam capace, ut ad tertiam modo partem repleatur, continuo ope spathulæ porcellaneæ agitando calcinetur, donec totum efferbuerit neque spumam amplius emittat, sed leve, siccum atque porosum evaserit. Loco sicco servetur.

Sit coloris expers et maxima e parte aqua solubile.

□ Ammonium carbonicum depuratum.

Renset kulsyret Ammoniak.

Ammonium carbonicum, quale vulgo prostat, e retorta vitrea collo amplo instructa, adaptato excipulo bene refrigerando, sublimetur. In vase bene obturato servetur.

Hac sublimatione efficiendum est, ut plumbo, quod venali interdum inest, omnino liberetur ammonium.

□ Ammonium muriaticum depuratum.

Renset saltsyret Ammoniak, Salmiak.

Ammonium muriaticum crudum quantitate sufficiente aquæ calidæ solvatur. Solutio filtrata et vase vitreo aut porcellaneo leni igne evaporata ad crystallisandum seponatur, quæ operatio, quamdiu crystalli albæ concrescant, repetatur. Crystalli bene siccatæ serventur.

Sit coloris expers, igne omnino avolans. Solutio neque aqua hydrothionica neque liquore kali borussici coloretur aut turbetur.

Ammonium muriaticum martiatum.

Jernholdig Salmiak.

Rc. **Ammonii muriatici depurati Partes octo,**
Ferri muriatici oxydati Partem dimidiam.

Solvantur sufficiente aquæ quantitate. Solutio filtrata, vasi porcellaneo immissa, inter continuo agitandum ope spathulæ porcellaneæ aut vitreæ ad perfectam siccitatem usque evaporetur. Sal ita paratus bene teratur et in vase vitreo, epistomio vitreo bene munito, servetur.

Sit pulvis crystallinus, coloris aurantiaci, odoris, acido muriatico sat similis, saporis ex acri austeri, humiditatem aëris attrahat, tribus partibus aquæ, vix aliqua submuriatis ferrici parte relicta, solvatur.

□ Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

Bitter-Mandel-Vand.

Rc. **Amygdalarum amararum Libras duas.**

Quibus bene contusis, ab oleo frigida expressione liberatis atque per cribrum trajectis inter perpetuam triturationem addantur

Aquæ communis Libræ quatuor,
Spiritus Vini rectificati Unciæ quatuor.

E miscela in vase bene clauso per duodecim horas seposita et deinde retortæ vitreæ immissa eliciantur libræ duæ, quæ loco frigido in vitris charta nigra obtectis et bene obturatis caute serventur.

Nonnihil sit lactescens, odoris et saporis amygdalas amaras referentis. Ex unciis quatuor, quibus instillata est copia sufficiens lixivii kali caustici, deinde liquoris ferri muriatici oxydati, denique acidi muriatici, grana quinque ferri borussici deponantur.

□ Aqua Amygdalarum amararum diluta.

(Loco Aquæ Cerasorum.)

Kirsebær-Vand.

Rc. **Amygdalarum amararum Libras duas.**

Quibus bene contusis ac frigida expressione ab oleo liberatis, deinde per cribrum trajectis et vesicæ destillatoriæ immissis aquæ fontanæ copia sufficiens affundatur. Destillando inde eliciantur libræ viginti quatuor.

Non sit lactescens.

Aqua Anisi.

Anis-Vand.

Rc. **Seminis Anisi vulgaris Partem unam.**

Contusum semen maceretur per noctem in

Aquæ fontanæ Partibus novem.

Mane destillentur inde partes sex.

Eodem modo parentur

☐ Aqua Foeniculi, *Fennikel-Vand.*

☐ — Petroselini, *Petersille-Vand.*

Aqua Anthos composita.

(Aqua hungarica.)

Sammensat Rosmarin-Vand, ungarsk Vand.

Rc. Florum Rorismarini Libram,

— Lavendulæ Uncias quatuor,

Spiritus Vini gallici Libras sex.

Digerantur per noctem et inde destillentur libræ tres.

Aqua aromatica.

Aromatisk Vand.

Rc. Herbæ Salviæ Uncias octo,

— Menthæ piperitæ,

— Rorismarini,

Florum Lavendularum, singulorum Uncias quatuor,

— Cassiæ,

Seminis Foeniculi, singulorum Uncias duas,

Spiritus Vini rectificati Libras sex,

Aquæ fontanæ Libras viginti.

Ex quibus per viginti quatuor horas simul maceratis destillando libræ duodecim eliciantur. Vitris bene obturatis servetur.

□ Aqua Calcariæ.

(Aqua Calcis.)

Kalk-Vand.

Rc. **Calcariæ puræ recens exustæ Partem unam,**
Aquæ fontanæ Partes viginti.

Vasi postea bene claudendo calcaria immissa, aqua inter agitandum sensim addatur. Seponatur miscela, donec calcaria non soluta fundum petierit. Ita servetur aqua, et, quoties medicus hanc præscribit, limpide decanthata vitro bene claudendo infundatur.

Aqua carbonata.

Kulsyret Vand.

Per apparatum solitum pneumaticum aqua impletum transferatur aër acidi carbonici, e marmore ope acidi sulphurici diluti evolutus, in lagenas aqua frigida (5° C) impletas, donec duæ tertiæ aquæ partes effluerint. Quo facto, lagena sub aqua obturata per minutam bene conquassetur, epistomium deinde rursus auferatur, ut aër atmosphæricus loco aëris absorpti intret. Tum, lagena iterum bene conquassata, epistomium denuo auferatur, quæ operatio repetetur, donec aër atmosphæricus non amplius intret.

Paretur ex tempore.

□ Aqua Chamomillæ.

Chamille-Vand.

Rc. **Florum Chamomillæ vulgaris Libras duas,**
Aquæ fontanæ Libras triginta.

Destillentur inde libræ viginti.

Eodem modo parentur

Aqua Melissæ, *Melisse-Vand.*
— **Menthæ crispæ,** *Krusemynte-Vand.*
□ — — **piperitæ,** *Pebermynte-Vand.*
□ — **Sambuci,** *Hyldeblomst-Vand.*
□ — **Tiliæ,** *Lindeblomst-Vand.*

□ Aqua chlorata.

(*Aqua oxymuriatica, Acidum muriaticum oxygenatum.*)
Chlorholdigt Vand, oxygeneret Saltsyre.

Re. **Natri muriatici siccati Uncias tres,**
Mangani hyperoxydati nativi Uncias duas cum Drachmis duabus.

Invicem bene mixta immittantur retortæ tubulatæ tam amplæ, ut ejus voluminis partem modo sextam capiat massa. Retorta balneo arenæ imposita ejusque cum collo tubo incurvato, sub aqua ducto, conjuncto, per tubum retortæ infundantur

Acidi sulphurici Unciæ quinque,
Aquæ communis pari pondere

dilutæ. Si retorta non satis est capax, miscela acidi sulphurici sensim infundatur, ne effervescentia tanta oriatur, ut massa retortæ simul effluat, præsertim si initio calor nimis augeatur. Neque admodum temperaturam aquæ coquentis superet ignis, quia fortiore calore præsertim versus finem aliqua acidi muriatici pars facile evolvitur. Aër chlori evolutus eodem modo, quo in aqua carbonata paranda dictum est, colligatur. Aqua chlori in vitris unciarum sex circiter capacibus, charta nigra velatis loco frigido optime servetur.

Sit liquor limpidus, subflavescens, odoris suffocantis proprii, saporis acris, haud acidi, pondere specifico aquam fere æquet, pigmenta plurimorum vegetabilium ita destruat, ut liquore kali carbonici ea restitui nequeant.

□ Aqua Cinnamomi simplex.

Caneel-Vand.

Rc. Corticis Cassiæ cinnamomeæ Partem unam,
Aquæ fontanæ Partes novem.

In vase clauso per diem macerentur, deinde destillando eliciantur partes sex.

□ Aqua Cinnamomi vinosa.

Viinholdigt Caneel-Vand.

Rc. Aquæ Cinnamomi simplicis,
Spiritus Vini rectificati, singulorum Partes æquales.

Misceantur.

□ Aqua destillata.

Destilleret Vand.

Destillent aquæ communis duæ tertiæ partes, rejecta prima stillantis aquæ portiuncula.

Neque liquore argenti nitrici, neque liquore barytæ muriaticæ, neque liquore ammonii oxalici neque aqua calcis turbetur. Ammonium hydrosulphuratum additum metalla non prodat.

Aqua Florum Aurantiorum.

(*Aqua florum Naphæ.*)

Pomerantsblomster-Vand, Orange-Vand.

Rc. Florum Aurantiorum sale conditorum Libras tres,
Kali carbonici crudi Unciam,
Aquæ fontanæ quantum satis.

Abstrahantur inde libræ decem.

□ Aqua hydrosulphurata.

(Aqua hydrothionica.)

Svovelbrinte-Vand.

Rc. **Ferri sulphurati contusi Unciam dimidiam.**

Immittatur in cucurbitam vitream, cujus apertura subere obturata est, per quod tubus rectus et rectangulus inducantur, quorum posterior cum lagenis duabus Woulfianis aut vitris cylindricis subere obturatis, duas libras aquæ destillatæ continentibus, conjungatur. Per tubum rectum, infundibulo parvo instructum, ferro sulphurato infundatur

Acidi sulphurici venalis Uncia,
Aquæ communis Unciis sex

antea diluta. Aqua aëre hydrothionico ita impræg̃nata in vasis bene clausis servetur.

Paretur ex tempore.

Aqua Kreosoti.

Kreosot-Vand.

Rc. **Kreosoti Drachmam cum dimidia,**
Aquæ destillatæ Uncias sedecim.

Conquassando misceantur et deinde filtrentur.

□ Aqua Laurocerasi.

Laurbærkirsebær-Vand.

Rc. **Foliorum recentium Laurocerasi concisorum Libras duas,**

Spiritus Vini rectificati Uncias quatuor,
Aquæ communis Libras sex.

Destillando libræ tres eliciantur.

Sit limpida et odoris illi amygdalarum amararum persimilis. Vis simili modo, quo aquæ amygdalarum, explorari potest.

Nota. Si folia Laurocerasi recentia haberi non possunt, aqua amygdalarum amararum substitui potest.

□ Aqua mercurialis nigra.

Sort Merkurial-Vand.

Rc. Hydrargyri muriatici mitis Drachmam.

Triturando misceatur cum

Aquæ Calcariæ Unciis triginta.

Ante bene agitetur, quam dispensetur.

□ Aqua ophthalmica mercurialis.

Guult Öienvand.

Rc. Hydrargyri muriatici corrosivi Grana quatuor,
Aquæ Rosarum Uncias viginti quatuor,
Tincturæ Opii crocatæ Unciam dimidiam.

Misceantur lege artis.

Aqua ophthalmica alba.

Hvidt Öienvand.

Rc. Zinci sulphurici Drachmam,
Plumbi acetici Drachmam dimidiam,
Camphoræ Spiritu Vini solutæ Scrupulum,
Aquæ Rosarum Libram.

Zincum sulphuricum et plumbum aceticum aqua rosarum singula solvantur, et deinde solutio utraque filtrata commisceatur,

quo sedimentum album efficitur. Tandem camphora spiritu bene soluta addatur.

Ante bene conquassetur, quam dispensetur.

□ Aqua Opii.

Opium-Vand.

Rc. **Opii puri sicci minutim concisi Unciam.**

Cui in retortam vitream immisso affundatur

Aquæ fontanæ Pars sufficiens.

Excipulo bene munito adaptato, destillatione unciæ sex liquoris eliciantur. In vitris bene munitis servetur.

Sit limpida, odoris penetrantis opiati.

Aqua phagedænica.

Guult Merkurial-Vand.

Rc. **Mercurii sublimati corrosivi Drachmam,**

Aquæ Calcariæ Uncias triginta.

Triturando bene misceantur.

Ante bene conquassetur, quam dispensetur.

Aqua picea.

Tjære-Vand.

Rc. **Picis liquidæ Uncias tres,**

Aquæ fontanæ Libras tres.

Sæpius agitando per biduum seponantur. Postquam subsederit, liquor limpide decanthetur et lagenis bene obturatis servetur.

Aqua Rosarum.

Rosen-Vand.

Rc. Petalorum Rosarum recentium, sive, si hi deficiant,
— — sale conditorum Partem,
Aquæ fontanæ Partes sex.

Leni destillatione inde proliciantur partes tres.

Nota. Per se patet, si pro petalis rosarum recentibus sale condita adhibeantur, eo majorem partem petalorum salitorum sumendam esse, quo major salis pars ad hæc condenda adhibita fuit.

Aqua Rubi idæi.

Hinbær-Vand.

Rc. Residui post expressum Succum Baccarum Rubi idæi Libras decem,
Kali carbonici crudi Uncias duas,
Aquæ fontanæ Libras triginta.

Inde destillatione eliciantur libræ viginti.

Nota. Residuum post expressum succum baccarum rubi idæi sale condi et ut petala rosarum salita servari atque ad destillandum adhiberi potest.

☐ Aqua saturnina.

Blyvand.

Rc. Aceti saturnini Unciam dimidiam,
Spiritus Vini rectificati Uncias duas,
Aquæ destillatæ Libras duas.

Misceantur.

Aqua sclopetaria spirituosa.

Arquebusade-Vand.

Rc. Herbæ Absinthii,
— Menthæ piperitæ,
— Rorismarini,
— Rutæ,
— Salviæ,
Florum Lavendulæ recentium,
singulorum Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquæ fontanæ quantum satis.

Omnibus per viginti quatuor horas simul maceratis, inde destillentur libræ octodecim. Lagenis vitreis bene obturatis servetur.

Aqua styptica.

Blodstillende Vand.

Rc. Aluminis crudi,
Cupri sulphurici,
singulorum Uncias tres,
Aquæ destillatæ Libras duas.

Quibus solutis et filtratis addantur

Acidi sulphurici concentrati Drachmæ duæ.

Misceantur.

□ Aqua vulneraria Thedenii.

Thedens Saar-Vand.

Rc. Aceti Vini Libras tres,
Spiritus Vini rectificati Libram cum dimidia,

Acidi sulphurici diluti Uncias sex,
Mellis despumati Libram unam.
Mixta filtrentur et serventur.

□ Argentum nitricum crystallisatum.

Crystalliseret salpetersyret Sölv.

Rc. **Argenti quantum vis**
solvatur
Acidi nitrici depurati parte sufficiente.

Solutione facta, liquor leni igne ad siccitatem evaporetur, massaque siccata vase porcellaneo fundatur, donec olei adinstar fluens colorem nigrum induerit neque amplius efferbuerit, et exigua pars aqua destillata soluta et filtrata neque ope ammonii caustici colorem coeruleum neque solutione kali borussici sedimentum rufescens sed contra albissimum præbuerit. Massa refrigerata deinde aqua destillata solvatur oxydumque cupricum a nitrate argentico puro filtrando separetur. Tum liquor limpidus vase porcellaneo leni igne aut ad consistentiam syrupi aut eo usque evaporetur, donec gutta liquoris laminæ vitreæ immissa crystallum exhibeat; tandem loco frigido ad crystallisandum seponatur. Horis viginti quatuor elapsis, lixivium crystallis innatans decanthetur et iterum evaporatum ad crystallisationem seponatur, quæ operatio repeti potest, quamdiu crystalli inde concrescant. Crystalli collectæ inter chartam bibulam loco umbroso siccatæ vitro bene clauso, charta nigra tecto, serventur.

Quum nitrate argentico ita parando exigua argenti pars reducatur et oxydo cuprico immisceatur, hoc separari potest, si, quod in filtro remanet, acido nitrico rursus solvatur, et e solutione argentum muriate natrico præcipitatum et ope kali fusum reducatur.

Sint crystalli tabulares, coloris omnino expertes, aëre persistentes, pari pondere aquæ solubiles. Si e solutione nitratis argentici omne argentum acido muriatico præcipitaveris, liquor innatans, a sedimento filtratione separatus, in lamina vitrea, nullo residuo relicto, omnino evaporari debet.

□ Argentum nitricum fusum.

(Lapis infernalis.)

Smeltet salpetersyret Sölv, Helvedessteen.

Rc. **Argenti nitrici modo nuper dicto depurati et aqua soluti quantum vis.**

Ad siccitatem usque evaporatum in crucibulo argenteo aut porcellaneo leni igne fundatur, donec massa olei instar fluat, quæ deinde in modulos ferreos sebo illitos effundatur. Bacilli refrigerati in vitro clauso, charta nigra tecto, serventur.

Sit siccum, fractura radios e centro egredientes exhibeat, coloris albi aut leviter grisei, neque liquore ammonii affuso coerulescat.

Aurum muriaticum natronatum.

Natrium-Guld-Chlorid.

Rc. **Auri purioris signati (v. c. monetarum, ducati Batavorum quæ vocantur) laminati ac concisi Partes sex.**

Solvantur

Acidi muriatici quantitate sufficiente,

Acidi nitrici quantum ad Aurum solvendum requiritur

guttatim addendo.

Argentum muriaticum in fundo remanens separetur et liquor vase porcellaneo ad siccitatem evaporetur, curando, ne nimio calore e parte decomponatur, sed ut sal solummodo ab omni acido superfluo liberetur. Deinde in aqua destillata soluto addantur

Salis communis siccati Partes decem.

Liquor filtratus leni igne iterum ad siccitatem evaporetur, et massa salina inde effecta pulverata vitro bene claudendo immittatur.

Sit pulvis aurei coloris, in aëre persistens. Ferrum sulphuricum solutum, solutioni hujus salis instillatum, aurum metallicum forma pulveris et cuticulæ præcipitet.

Balsamum Locatelli.

Locatelle-Balsam.

Rc. **Ceræ flavæ Libram unam.**

Quæ leni igne in

Olei Olivarum Libra una et dimidia

liquefiat. Deinde addantur

Terebinthinæ venetæ Libra una et dimidia,

atque, omnibus ab igne remotis,

Balsami peruviani Unciæ duæ,

Sanguinis Draconis pulverati Uncia,

assidue agitando ad refrigerationem usque.

Balsamum Opodeldoc.

Opodeldoc.

Rc. **Saponis e sebo parati Uncias tres,**

Spiritus Vini rectificatissimi temperatura aeris majori **Uncias viginti quatuor,** minori **viginti septem.**

Quibus in cucurbitam ope vesicæ acu perforatæ clausam immissis, fiat ebullitio levis spiritus, quo melius solvatur sapo et partes haud solubiles facilius separentur. Solutioni deinde colatæ addantur

Camphoræ raffinatæ Uncia dimidia,
Liquoris Ammonii caustici Uncia et dimidia,
Olei Anthos,
— Thymi, singulorum Drachmæ duæ,
— Origani Drachma una.

Quæ omnia in cucurbita, vesicæ ope clausa, calefacta tamdiu seponentur, ut fæces fundum petant; deinde vitris minoribus limpide infundantur, tandemque quod in fundo cucurbitæ restat turbulentum filtretur.

□ Balsamum universale.

Universalbalsam.

Rc. Olei Raparum haud nimis recens expressi, non tamen rancidi, Libram cum dimidia,
Ceræ citrinæ Libram dimidiam.

Quibus invicem solutis et frigefactis inter continuam agitationem addatur

Plumbi acetici, pauxillo Olei Raparum tepidi soluti, Uncia una.

Bene commisceantur.

□ Balsamum vitæ Hoffmanni.

(*Mixtura oleosa balsamica.*)

Hoffmanns Livsbalsam.

Rc. Olei Lavendulæ,
— Caryophyllorum,
— Macis,
— Cinnamomi,
singulorum Scrupulum unum;
— Succini rectificati Guttas decem,

Balsami peruviani Drachmam dimidiam,
Spiritus Vini rectificatissimi, antea radice Alcannæ pulchre tincti, Uncias decem.

Misceantur et filtrentur.

□ Baryta muriatica.

(Terra ponderosa salita, Chloretum Baryi.)

Saltsyret Baryt.

Rc. **Barytæ sulphuricæ nativæ lævigatæ Uncias tres,**
Carbonis vegetabilis pulverati Drachmas tres,
Colophonii pulverati Drachmas sex.

Quæ sedulo mixta in crucibulo non nimis amplo, leviter tecto, per horam igne quam maxime aucto ita excandescant, ut massa perfecte fundatur. Tum in mortarium ferreum calefactum effundatur et in pulverem redigatur. Massa pulverata in vase porcellaneo cum aquæ destillatæ partibus quatuor continuo agitando coquatur, ut sulphuretum baryi plane solvatur. Cui liquori filtrato et refrigerato caute instilletur

Acidum muriaticum depuratum,

donec effervescentia finita sit, neque amplius aër hydrogenii sulphurati evolvatur.

Liquori filtrato mox addatur

Liquoris Ammonii caustici Pars exigua,

ut tentetur, num liquor turbetur an sedimentum oriatur; quod si fit, hic liquor affundatur, quamdiu sedimentum appareat. Tum liquor filtretur et in vase porcellaneo evaporetur, donec cuticula salina in superficie liquoris appareat. Deinde per viginti quatuor horas in loco frigido seponatur, ut crystalli tabulares inde concrescant. Evaporatione iterata plures crystalli ex lixivio obtineri possunt; quæ vero versus finem operationis crystalli aciculares chloreti strontii appareant,

rejiciendæ sunt. Crystalli siccatæ vitro clauso serventur. Chloretum strontii a chloreto baryi affuso spiritu vini rectificatissimo, qui salem priorem solvit, bene separari potest.

Sint crystalli tabulares, in aëre persistentes, diaphanæ, coloris expertes. Neque aqua hydrothionica neque liquore ammonii caustici affuso sedimentum appareat. Omni baryta ope acidi sulphurici puri plane præcipitata, liquor innatans filtratus laminæ platineæ immissus omnino evaporari debet. Chloretum strontii explorari potest, si chloretum baryi spiritu vini rectificatissimo tentetur, qui, si sal prior inest, colore rubro deflagrat.

□ Bismuthum nitricum præcipitatum.

(Subnitras bismuthicus, Magisterium Bismuthi.)

Undersalpetersyret Vismuth-Ilte.

***Rc.* Acidi nitrici puri Partes quatuor.**

Quibus in cucurbitam vitream tam amplam, ut nonnisi quarta ejus pars impleatur, immissis

Bismuthi minutim contusi Pars una

sensim addatur, cavendo, ne nova bismuthi pars ante immittatur, quam prior soluta sit. Si solutio versus finem operationis nimis lente procedit, massa ad coquendum usque calefiat aut donec pulvis nigrescens separari incipiat. Liquor limpidus huic pulveri et metallo non soluto innatans in vas decanthetur, cui tanta aquæ destillatæ fervidæ pars insit, quanta acidum adhibitum æquet. Deinde liquor adhuc calidus filtretur et in vas idoneum

Aquæ destillatæ Partes triginta

continens sensim et continuo agitando immittatur. Quum sedimentum inde ortum fundum bene petiit, quam citissime a liquore innatante separetur et in filtro aqua destillata sæpius edulcoretur; denique loco calido umbroso siccatum vitro charta nigra velato servetur.

Sit pulvis albissimus, miscroscopio inspectus crystallorum forma appareat. Facile et sine effervescentia acido nitrico plane solvatur, quæ

solutio neque affuso liquore argenti nitrici, neque barytæ nitricæ, neque acido sulphurico turbetur. Ipsum magisterium bismuthi tinctura jodii inspersum non coerulescat.

□ Butyrum Majoranæ.

Merian-Smör.

Rc. **Foliorum Majoranæ recentium sive, si hæc deficiant, siccatorum Uncias tres.**

Concisa coquantur leni igne cum

Butyri insulsi Libra una.

Consumta humiditate colentur. Tum butyro prope refrigerato addatur

Olei Majoranæ Drachma dimidia.

Sine magna agitatione misceantur. Ut colorem viridem obtineat hoc butyrum, sufficiens pars pulveris indigo et radicis curcumæ ante addatur, quam butyrum calidum coletur.

□ Calcaria chlorata, Chloretum Calcis.

Chlorkalk.

Calcaria recens usta tanta aquæ communis parte adspergatur, ut in pulverem fatiscat, quo vitrum cylindricum magnum, cujus prope fundum apto modo situs est orbis, foraminulis multis instructus, impleatur. Apertura vitri subere diligenter claudatur, per quod æque ac per calcem tubus rectangulus ita inducatur, ut per orbem perforatum ad fundum vitri fere usque transeat. Per idem suber præterea immittatur alter tubus rectangulus, calcem haud attingens, ut per hunc ea aëris pars, quam calx absorbere nequeat, in vitrum aquam continens inferri possit. Ut chlorum abluatur, tubus per calcem trans-

iens cum vitro Woulfiano, aliquam aquæ partem continente, conjungatur, sicuti etiam vitrum Woulfianum apto modo cum retorta, in qua chlorum evolvitur modo, quem in aqua chlorata describenda nominavimus, communicet. Calx chlorata ita parata in vasis minoribus bene obturatis chartaque nigra velatis loco umbroso servetur.

Calcaria muriatica.

Saltsyret Kalk, Chlor-Calcium.

Rc. **Concharum bene præparatarum quantum vis,**

solve in

Acidi muriatici depurati quantitate sufficiente.

Solutio filtrata in vase porcellaneo ad siccitatem evaporetur. Sal siccus adhuc calidus in vase optime clauso servetur.

Sit coloris expers, aqua facillime et spiritu vini plane solubilis, ab inquinamentis metallicis liber, quod aqua hydrothionica et liquore ammonii caustici dignoscitur. Cum hydrate calcico trita odorem ammoniacalem non evolvat.

Nota. Calcaria muriatica si a medico præscribitur, sal, qui post paratum liquorem ammonii caustici remanet, dispensari omnino non liceat.

Calcaria sulphurata.

(Hepar Sulphuris calcareum, Sulphuretum Calcii.)

Kalk-Svovellever, Svovel-Calcium.

Rc. **Gypsi usti et subtilissime pulverati Partes quatuor, Carbonis vegetabilis pulverati Partem unam.**

Bene mixta in crucibulo fortiter comprimantur, quod tectum igni tam forti per horam exponatur, ut massa excandescat

atque in pulverem album convertatur. Pulvis, qui ita obtinetur, adhuc calidus in vase probe claudendo servetur.

Particulis carbonis sit libera, acido muriatico affuso magna aëris hydrothionici pars evolvatur, atque eo plane solvatur.

Calcaria sulphurato-stibiata.

(Calx Antimonii cum Sulphure.)

Spydglandsholdig Kalk-Svovellever.

Rc. **Concharum præparatarum Uncias duas,**
Stibii sulphurati lævigati,
Sulphuris depurati, singulorum Unciam dimidiam.

Intime mixta et in crucibulo hassiaco fortiter intrusa, in superficie cum strato calcis vivæ tecta, per horam dimidiam, aut donec particula exemta colore e rufo-flavo appareat, excandescant. Massa refrigerata, a strato calcis liberata atque in pulverem redacta, in vitris drachmam capacibus bene claudendis optime servetur.

Sit pulvis subtilissimus, acido muriatico affuso colorem aurantiacum induens, aëre hydrogenii sulphurati simul copiose evoluto. Aqua maximam partem sit solubilis; quo magis solvitur, eo melius est.

Carbo animalis.

(Carbo Carnis.)

Dyrisk Kul.

Rc. **Carnis vitulinæ a pingvedine liberæ cum adhærentibus ossiculis quantum vis.**

In vase idoneo torreatur, quamdiu vapores extricantur, qui admota flamma incendantur. Tum residuum in pulverem subtilissimum redigatur, et in vase vitreo servetur.

Sit pulvis e fusco-niger et acido muriatico tractatus solutionem efficiat, quæ aptis reagentibus ferrum et calcariam phosphoricam præbeat.

□ Carbo ligneus s. vegetabilis præparatus.

Præpareret Træ-Kul.

Carbones vegetabiles e ligno leviore parati, haud adeo subtiliter pulverati, aquæ sufficienti quantitate decocti, in crucibulo clauso, cujus operculum foramine parvo instructum sit, urantur, donec fumus exire plane desinat. Tum carbo remanens in pulverem subtilissimum redigatur, qui vase bene clauso servetur.

Carbo Spongiæ.

Kul af Vaske-Svamp.

Spongia marina a lapidiusculis aliisque inquinamentis bene mundata et minutim concisa in crucibulo leviter tecto uratur, donec fumus non amplius exeat. Tum massa refrigerata in pulverem teratur, qui vase bene clauso servetur.

Carboneum sulphuratum.

(*Alcohol Sulphuris.*)

Svovel-Kulstof, Svovel-Alcohol.

In tubum porcellaneum luto circumdatum carbones vegetabiles recens exusti, minutim contusi, a pulverulentis liberati, immittantur. Tubus deinde in furnum anemium ita imponatur, ut extremitates nonnihil promineant, earumque altera proclivior sita sit. Cum extremitate procliviori conjungatur tubus intermedius ope luti e calce et albumine confecti, cui tubo alter tubulus rectangulus satis longus ope suberis adjungatur, cujus crus alterum in lagenam Woulfianam duabus aperturis instructam et aqua dimidia ex parte impletam ingeratur; etiam per alteram aperturam lagenæ tubus rectangulus vitreus inferatur, ut per hunc aër non con-

densatus exire possit. Tum tubi porcellanei extremitas altera, aliquantum altius sita, conjungatur cum retorta, cui antea immissum est sulphur, ut inde ope ignis vapores sulphurei evolvantur. Apparatu ita instructo, bene excandescant carbones, qui tubo porcellaneo continentur, dum vapores sulphuris per eos simul ferantur, quo efficiatur, ut sulphuretum carbonei in lagenam Woulfianam instillet. Inter destillandum bene refrigeretur lagena Woulfiana, sicuti etiam conveniret tubum intermedium apparatu refrigeratorio Liebigiano, in æthere sulphurico parando descripto, circumdare. Sulphuretum carbonei ita paratum, quod sub aqua in fundo lagenæ, forma olei, colligitur, leni igne e retorta justa encheiresi rectificetur, et sub aqua in vitris bene clausis loco frigido servetur.

Sit liquor limpidus, hyalinus, admodum volatilis, odoris penetrantis, ingrati, saporis acris, stimulantis, non aqua, sed spiritu, æthere, oleo facillime solubilis, ponderis specifici 1,272.

□ Cera ad labia.

Læbe-Pomade.

Rc. **Ceræ albæ Drachmas duas,**
Spermatis Ceti Drachmas tres,
Olei Amygdalarum recentis Drachmas sex.

Colliquatis leni calore addatur

Radicis Alcannæ spuriæ haud nimis minutim concisæ Drachma cum dimidia.

Aliquoties ebulliant, deinde ab igne removeantur, colentur et additis

Olei Lavendulæ guttis triginta,

probe mixta in capsulas papyraceas effundantur, quæ refrigerio committantur.

Cera viridis.

Grönt Vox.

Rc. Ceræ citrinæ Libram unam,
Resinæ Pini Uncias sex.
Quibus invicem liquatis addantur
Terebinthinæ communis Unciæ quatuor,
Æruginis triti Uncia dimidia.
Deinde colentur et more solito effundantur.

Ceratum Cetacei.

(Cold Cream.)

Spermacet-Salve.

Rc. Spermatis Ceti Drachmas sex,
Ceræ albæ Drachmas duas,
Olei Amygdalarum Uncias sex.
Quibus lege artis colliquatis sensim et continua agitatione addantur
Aquæ Rosarum Unciæ sex.
Omnia deinde tam diu conterantur, ut ex cerato seposito aqua non separetur.
Ex tempore paretur.

□ Ceratum simplex.

Vox-Salve.

Rc. Ceræ flavæ Uncias quatuor,
Olei Raparum non nimis recens expressi, neque tamen rancidi, Libram unam.
Invicem liquentur.

Chininum muriaticum.

Saltsyret Chinin.

Rc. **Chinini sulphurici Unciam cum dimidia,**
Barytæ muriaticæ Unciam dimidiam.

Quibus seorsim aqua destillata fervida solutis, solutiones fervidæ invicem misceantur, quo sedimentum oriatur. Liquor innatans filtretur et lege artis in crystallos redigatur.

Sint crystalli albæ, aciculares vel lamellares, sericeo-nitentes, trecentis partibus spiritus vini rectificatissimi et viginti partibus aquæ bullientis solubiles.

□ Chininum sulphuricum.

Svovelsyret Chinin.

Rc. **Corticis Chinæ regiæ haud nimis subtiliter pulverati Libras duas.**

Quibus in vas fictile immissis affundantur

Aquæ communis fervidæ Libræ duodecim,
Acidi muriatici concentrati Uncia cum dimidia.

Sæpius agitando per octo horas digesta colentur et exprimantur. Remanens corticis pars simili modo bis terve cum libris octo aquæ acido muriatico acidulatæ per octo horas digeratur, peracta digestione exprimatur, quod repeti potest, donec pars remanens saporem amarum prope amiserit. Liquoribus ita paratis admisceatur

Liquoris Kali caustici tantum,

ut acidum nonnihil prævaleat. Tum liquores leni igne ad libras quatuor redigantur, quibus refrigeratis et filtratis addatur

Calcariæ ustæ cum sufficiente quantitate aquæ communis mixtæ, ut in liquorem lacti similem mutetur, Uncia una.

Leni calore miscelam subinde agitando, per diem digerantur, deinde filtrentur; quod in filtro remanet aqua destillata frigida edulcoratum siccetur, et subtiliter tritum bis terve cum

Spiritus Vini rectificatissimi Partibus octo

calore sub finem ad ebullitionem usque aucto digeratur. Liquor decanthetur, pars remanens bene exprimatur et spiritu iterum tractetur, donec spiritus saporem amarum non amplius obtineat. Quibus liquoribus spirituosis, commixtis et filtratis addatur

Acidi sulphurici diluti tantum,

ut aliquantum excedat, præterea

Carbonis animalis antea acido muriatico depurati et bene eloti Uncia cum dimidia,

Aquæ destillatæ Libra.

Tum e retorta spiritus abstrahatur, pars autem remanens adhuc fervida per linteum, cui charta bibula imposita est, filtretur; quo facto, liquor filtratus et refrigeratus in massam candidam crystallinam subtiliter acicularem coibit, quæ leniter exprimatur. In filtro remanens pars, cum lixivio massæ crystallinæ commixta, iterum aqua decoquatur, et lege artis in crystallos redigatur, quæ, quamdiu albæ concrescant, colligantur. Crystalli leni calore siccatæ bene serventur, ne delabantur.

Sint crystalli coloris expertes, sericeo-nitentes, aciculares, flexiles, aqua et æthere difficile, spiritu vini autem facilius solubiles, saporis peramari. In lamina platinea ad candescentiam usque ignitæ aut flammæ tubi ferruminatorii expositæ omnino aufugiant. Aqua frigida iis commixta saporem dulcem non obtineat, neque simul decocta, tinctura jodii affusa, colorem coeruleum accipiat. Acido sulphurico addito crystalli aqua facile solvantur.

□ Conchæ præparatæ.

Præparerede Östers-Skaller.

Conchæ aqua fontana decoquantur, ope setæ ab inquinamentis

adhærentibus liberentur, bene abluantur, siccentur, tum pulveratæ et lævigatæ serventur.

Confectio Seminis Cynæ.

Ormesukker.

Rc. **Seminis Cynæ electi Uncias duas.**

Immittantur cacabo aheneo super lenissimum ignem suspenso, ut semina, simul bene agitanda, leniter calefiant; tum paulatim affundantur

Sacchari clarificati ad consistentiam tabulandi cocti Unciæ quatuor.

Assidue agitetur cacabus, et semina bacillo ligneo sæpissime intermisceantur, donec omnia sicca apparuerint; semina nondum saccharo incrustata et partes saccharinæ grumosæ a seminibus incrustatis separentur, illa vasi idoneo immittantur, hæc autem, mundato prius cacabo, denuo sufficiente sacchari tabulati quantitate superinfusa, modo descripto incrustentur, quæ incrustatio toties repetenda est, quoties semina saccharo nondum obducta relicta manent.

□ Conserva Rosarum.

Rosen-Conserve.

Rc. **Petala Rosarum incarnatarum recentia.**

In mortario lapideo ope pistilli lignei in pultem contundantur, cui continuo contundendo sensim addatur

Sacchari albissimi Pondus duplex.

Loco frigido servetur.

Cuprum aceticum crystallisatum.

(*Viride æris crystallisatum.*)

Crystalliseret Spanskgrönt.

Ærugo parte sufficiente acidi acetici diluti coquentis solvatur. Solutio filtrata ad punctum crystallissationis usque evaporetur, ut inde seponendo crystalli concrescere possint, quæ lege artis collectæ vase bene clauso serventur.

Sint crystalli coloris saturate viridis, aëre expositæ delabentes, viginti circiter partibus aquæ frigidæ et quinque aquæ coquentis partibus solubiles, saporis adstringentis, metallici.

Cuprum aluminatum.

(*Lapis divinus.*)

Alunholdig Kobber-Vitriol.

Rc. **Cupri sulphurici,**
Kali nitrici depurati,
Aluminis crudi, singulorum Unciam.

Contusa et invicem mixta in vase terreo vitreato liquefiant, quibus nonnihil refrigeratis addatur

Camphoræ raffinatæ bene tritæ Drachma dimidia.

Tum massa albo-coerulescens super porphyritem effundatur et refrigerata in frustula diffracta servetur.

□ Cuprum sulphuricum ammoniatum.

(*Cuprum ammoniatum.*)

Kobber-Ammoniak.

Rc. **Cupri sulphurici puri triti Uncias duas.**

Sensim inter conquassandum addatur

Liquoris Ammonii caustici quantum sufficit,

ut inde efficiatur solutio, cui limpide decanthatæ et in vas capax immissæ ad parietes vitri caute ita infundatur

Spiritus Vini rectificatissimi eadem quæ Liquoris Ammonii caustici adhibita pars,

ut spiritus solutioni innatet. Vas per triduum seponatur, ut crystalli concrescant. Spiritu vini deinde decanthato, crystalli formatæ aëri sicco non autem calido expositæ inter chartam bibulam siccentur et vitro bene clauso serventur. Si post spiritum affusum et crystallos concretas liquor adhuc coeruleus evadat, nova spiritus pars addatur, quo efficiatur, ut iterum crystalli minus tamen regulares concrescant.

Sint crystalli coloris saturate azurei, sesquiparte aqnæ solubiles, cui solutioni si liquor kali addatur, odor fortis ammoniacalis evolvatur.

□ Cuprum sulphuricum purum.

(*Vitriolum Cupri.*)

Kobber-Vitriol.

***Rc.* Ramentorum Cupri Partem unam,**

Quibus retortæ vitreæ capaci immissis addantur

Acidi sulphurici concentrati Partes tres,

cum **Aquæ destillatæ Parte una**

antea mixtæ. Tubus rectangulus collo retortæ adjungatur, ut per hunc aër sulphurosus evolutus in aquam induci possit. Retorta balneo arenæ imponatur ignisque eo augeatur, ut acidum et cuprum inter se agant, in quo tamdiu pergatur, donec omnis aër sulphurosus evolutus sit, atque in salem albescentem conversa sit massa, quæ

Aquæ destillatæ Pondere quadruplo

coquendo soluta, adhuc calida filtretur et ad crystallisandum seponatur. Liquor crystallis innatans decanthetur et evaporando lege artis in crystallos redigatur, quæ siccatæ vitro bene clauso serventur.

Sint crystalli magnæ, pulchre cyaneæ, rhomboidales, liquore ammonii caustici omnino solubiles. Ut autem exploretur, utrum zincum, quod et ipsum ammonio caustico solvitur, insit, cupro e solutione acidulata ope aëris hydrogenii sulphurati præcipitato, liquori, qui cupro sulphurato innatat, kali carbonicum addi potest, quo zincum, si adest, colore albo præcipitatur.

⊕ Decoctum album.

Hvid stoppende Mixtur.

Rc. Concharum præparatarum Drachmas duas,
Pulveris Gummi arabici Drachmam.

Optime terantur cum

Aquæ fervidæ Unciis octo.

Cui miscelæ, a partibus haud solubilibus decanthatæ, deinde addantur

Aquæ Cinnamomi vinosæ Drachmæ duæ,
Pulveris Sacchari albi Drachma.

Paretur ex tempore.

⊕ Decoctum Corticis Chinæ s. peruviani.

China-Dekokt.

Rc. Corticis peruviani regii optimi subtiliter contusi Uncias duas,

coquantur cum

Aquæ communis Libra et dimidia,

ut remaneat colaturæ libra, cui addantur

Syrupi Sacchari Unciæ duæ.

Misceantur.

℞ Decoctum Corticis Chinæ s. peruviani acidum.

Suur China-Dekokt.

Rc. Decocti Corticis Chinæ Libram,
Elixir aromatico-acidi Unciam dimidiam.
Misceantur.

℞ Decoctum Corticis Chinæ c. Senega.

China-Dekokt med Senega.

Rc. Corticis peruviani regii optimi subtiliter contusi
Drachmas sex,
coquantur cum
Aquæ communis Unciis sedecim,
dum versus finem coctionis addantur
Radicis Senegæ concisæ Drachmæ duæ,
ut colaturæ remaneant unciæ octo.
Decocto colato deinde addatur
Syrupi Sacchari Uncia.
Misceantur.

℞ Decoctum resolvens.

Græsrod-Dekokt.

Rc. Radicis Graminis,
— Taraxaci,
singulorum Uncias tres.
Concisæ coquantur cum
Aquæ communis Libris quatuor,
donec remaneant libræ duæ.
Deinde fortiter exprimantur et colentur.
Nota. Omnia decocta ex tempore parentur.

□ Elæosaccharum Anisi.

Anis-Olie-Sukker.

Rc. Sacchari albissimi Unciam,
Olei Anisi ætherei Guttas octo.

Diligenter invicem terantur, donec in pulverem subtilem convertantur.

Eodem modo parentur

Elæosaccharum Cinnamomi, *Caneel-Olie-Sukker.*
□ — Citri, *Citron-Olie-Sukker.*
□ — Foeniculi, *Fennikel-Olie-Sukker.*
□ — Menthæ piperitæ, *Pebermynte-Olie-Sukker.*
et reliqua.

Serventur vitris epistomio vitreo munitis.

Electuarium ad hæmoptoen.

Latværge mod Blodspytning.

Rc. Pulveris Kali nitrici depurati Unciam,
— Boli armenæ Drachmas duas,
Conservæ Rosarum Unciam,
Syrupi Altheæ quantum satis,
ut fiat electuarium.

Paretur ex tempore.

□ Electuarium anthelminticum.

Latværge mod Orm.

Rc. Pulveris Seminis Cinæ Unciam,
— Radicis Valerianæ,
— — Jalapæ,
singulorum Drachmas duas,
— Kali sulphurici Unciam dimidiam.

Quæ simul commixta misceantur cum

Oxymellis scillitici Unciis quinque,

ut fiat electuarium, quod vase porcellaneo bene obtecto servetur.

□ Electuarium aperiens.

Afführende Latværge.

Rc. **Pulveris Foliorum Sennæ Unciam et dimidiam,**
Kali tartarici Drachmas sex,
Pulpæ Tamarindorum Uncias tres,
Syrupi Mannæ Uncias sex.

Lege artis misceantur, ut electuarium efficiatur.

Electuarium dentifricium.

Tand-Latværge.

Rc. **Coccionellæ pulveratæ Drachmam;**

bene teratur cum

Kali carbonici depurati Scrupulis duobus.

Tum adde

Pulveris Cornu Cervi usti præparati,
— Ossis Sepiæ,
— Radicis Iridis florentinæ, singulorum Unciam,
Olei Caryophyllorum Guttas quadraginta,
Mellis rosati quantum satis,

ut fiat lege artis electuarium.

Electuarium lenitivum.

Mild afförende Latværge.

Rc. **Caricarum siccatarum Uncias duas,**
Aquæ communis Libram unam.

Coquantur, donec remaneat libra dimidia. Sub finem coctionis addatur

Radicis Glycyrrhizæ concisæ Uncia dimidia.

Decoctum exprimendo colatum et deinde limpide decanthatum leni igni exponatur, donec quarta ejus pars evaporatione consumta sit, quo decocto tandem ebulliendo solvantur

Sacchari albi Unciæ quinque,
Pulpæ Tamarindorum Drachmæ sex,
— Prunorum Uncia et dimidia.

Cui syrupo spisso denique admisceantur

Pulveris Foliorum Sennæ Uncia una,
— Seminis Coriandri Uncia dimidia.

E quibus electuarium conficiendum.

Electuarium mundificans.

Blodrensende Latværge.

Rc. **Pulveris Radicis Sarsaparillæ Uncias tres,**
— Ligni Guajaci Unciam,
— Foliorum Sennæ Unciam et dimidiam,
— Radicis Rhei optimæ Drachmas duas,
— Corticis Sassafras,
— Seminis Anisi, singulorum Drachmam.

Quæ simul commixta ope

Mellis despumati Libræ unius

in electuarium redigantur.

Electuarium theriacale.

Theriak.

Rc. Radicis Angelicæ Uncias sex,
— Serpentariæ Uncias quatuor,
— Valerianæ,
— Scillæ,
Corticis Cinnamomi,
singulorum Uncias duas.
Cardamomi minoris,
Myrrhæ,
Opii,
Croci orientalis,
Caryophyllorum aromaticorum,
Ferri sulphurici,
singulorum Unciam,
Mellis despumati Libras sex.

Melli paululum calefacto addatur opium, vini hispanici parte sufficiente dilutum; deinde admisceantur cætera in pulverem trita.

□ Elixir acidum Halleri.

Hallers sure Draaber.

Rc. Acidi sulphurici rectificati,
Spiritus Vini rectificatissimi, singulorum Partes æquales.

Intime misceantur, dum acidum caute et guttatim spiritui instilletur. Vitro, epistomio vitreo bene munito, servetur.

□ Elixir antarthriticum.

Gigt-Draaber.

Rc. Extracti trifolii fibrini Unciam,
solvatur

Essentiæ trifolii fibrini Unciis sex.

Deinde addatur

Tincturæ antiscorbuticæ Uncia.

Misceantur.

Ante bene conquassetur, quam dispensetur.

□ Elixir antasthmaticum Aaskovi.

Aaskovs Draaber.

Rc. Herbæ Digitalis purpureæ concisæ Uncias duas,
Radicis Glycyrrhizæ concisæ Uncias quatuor,
Ligni Santali rubri concisi Unciam,
Spiritus Vini rectificati,
Aquæ Foeniculi, singulorum Libram.

Per triduum digesta exprimantur et filtrentur.

□ Elixir aperitivum Clauderi.

Clauders drivende Draaber.

Rc. Aloës succotrinæ,
Myrrhæ electæ,
singulorum Unciam,
Croci orientalis Unciam dimidiam,
Kali carbonici depurati Uncias duas,
Aquæ Sambuci Uncias quindecim.

Per aliquot dies digesta exprimantur et filtrentur.

□ Elixir aromatico-acidum.

Sure krydrede Draaber.

Rc. Corticis Cinnamomi Uncias duas,
Cardamomi minoris,

Caryophyllorum aromaticorum,
Radicis Galangæ,
— Zingiberis, singulorum Unciam dimidiam
Concisa et contusa digerantur cum
Spiritus Vini rectificati Libris duabus,
Acidi sulphurici concentrati Uncia,
antea bene commixtis.
Limpide dispensetur.

□ Elixir pectorale.

Bryst-Draaber.

Rc. **Succi Glycyrrhizæ depurati Libram dimidiam,**
solvatur
Aquæ Foeniculi Libra una et dimidia.
Solutioni limpide decanthatæ et colatæ addatur
Liquoris Ammonii anisati Libra dimidia.
Mixta in vitro bene clauso serventur.
Limpide dispensetur.

□ Emplastrum adhæsivum album.

(*Loco Emplastri adhæsivi svecici.*)

Hvidt Hefte-Plaster.

Rc. **Emplastri Lithargyri Uncias sedecim,**
Ceræ flavæ Unciam et dimidiam,
Terebinthinæ communis Unciam dimidiam.
Lege artis invicem misceantur.

□ Emplastrum adhæsivum vulgo anglicum dictum.

Engelsk Hefte-Plaster.

Rc. **Ichthyocollæ minutim concisæ Uncias duas,**
Aquæ fontanæ quantitatem sufficientem.

Simul coquantur, donec unciæ octodecim remaneant. Cujus solutionis fervidæ unciæ duodecim ope penicilli magni et mollis aut spongiæ mollis panno serico, latidudine unius, longitudine trium ulnarum, rite expanso, iteratis stratis illinantur, donec emplastrum crassitiem requisitam obtinuerit. Stratum secundum non ante inducatur, quam primum exsiccatum fuerit. Tum

Solutionis remanentis Unciæ sex,

cum

Spiritus Vini rectificatissimi quantitate sufficiente

diluantur, quæ miscela serico iterum illinatur, quo superficiem admodum nitentem obtinere possit emplastrum. Tandem superficies posterior emplastri quantitate sufficiente tincturæ benzöes illinatur, emplastrumque bene siccatum in tabulas magnitudinis chartæ lusoriæ scissum loco calido servetur.

Emplastrum de Ammoniaco.

Ammoniak-Gummi-Plaster.

Rc. **Ceræ flavæ,**
Resinæ Pini flavæ,
singulorum Uncias quatuor.

Quibus liquatis et pæne refrigeratis admisceantur

Ammoniaci depurati Unciæ sex,
Galbani depurati Unciæ duæ,
Terebinthinæ communis Unciis quatuor

blando calore exstinctæ. Massa commixta deinde in capsulas papyraceas effusa, refrigerata in taleolas scindatur.

Emplastrum aromaticum.

Aromatisk Plaster.

Rc. Ceræ flavæ Uncias octo,
Sebi ovilli Uncias sex,
Terebinthinæ communis Uncias duas.

Quibus liquatis, colatis, pæne refrigeratis addantur

Olibani pulverati Unciæ quatuor,
Benzoes pulveratæ Unciæ duæ,
Olei nucistæ expressi Uncia cum dimidia.

Sub finem, massa jam magis refrigerata, immisceantur

Olei Menthæ piperitæ,
— Caryophyllorum,
singulorum Drachmæ duæ.

Massa commixta deinde in capsulas papyraceas effusa et refrigerata in taleolas scindatur, quæ bene serventur.

□ Emplastrum Cantharidum ordinarium.

(*Emplastrum vesicatorium ordinarium.*)

Almindeligt Spanskflue-Plaster.

Rc. Ceræ flavæ Uncias decem,
Terebinthinæ communis,
Olei Olivarum,
singulorum Uncias tres.

Leni igne liquefacta ab igne removeantur atque sub perpetua agitatione sensim et exacte admisceantur

Cantharidum non nimis subtiliter sed recens tritarum Unciæ sex.

Formentur ex massa magdalides, quæ bene serventur.

□ Emplastrum Cantharidum perpetuum.

(*Emplastrum vesicatorium perpetuum.*)

Langsomt trækkende Plaster.

Rc. **Resinæ flavæ Uncias novem,**
Ceræ flavæ Unciam dimidiam.

Quibus liquefactis addatur

Terebinthinæ communis Libra et dimidia.

Massæ per pannum colatæ et in refrigerationem tendenti addantur

Pulveris Euphorbii,
— Sandaracæ, singulorum Unciæ quatuor,
— Cantharidum Unciæ sex.

Tum solito more in capsulas papyraceas effundatur massa.

□ Emplastrum Cerussæ.

(*Emplastrum album coctum.*)

Blyhvidts-Plaster.

Rc. **Olei Olivarum Libras duas.**

Quibus in aheno cupreo immissis et calefactis immittantur

Cerussæ subtilissime tritæ Libræ quatuor.

Continuo agitando coquantur, dum aqua calida sensim et guttatim instilletur, ne humiditas sufficiens deficiat, ad justam emplastri spissitudinem; tunc addatur

Ceræ albæ Libra dimidia.

Inde malaxando formentur, ope aquæ, magdalides.

□ Emplastrum citrinum.

Citron-Plaster.

Rc. **Resinæ Pini Libram unam,**
Ceræ citrinæ Uncias octo,

Sebi cervini Uncias quatuor,
Terebinthinæ communis Uncias duas.

Colliquatis et colatis addatur

Pulveris Radicis Curcumæ Uncia dimidia.

Tum in capsulas papyraceas effundatur massa, quæ refrigerata in taleolas scindatur.

□ Emplastrum commune.

(*Emplastrum Lithargyri.*)

Almindeligt Plaster, Sölverglöds-Plaster.

Rc. **Lithargyri subtilissime pulverati Libras tres,**
Olei Olivarum Libras sex.

Spathula lignea continuo agitando et pauxillum aquæ communis calidæ subinde instillando, in aheno cupreo igne moderato coquantur, donec lithargyrum bene solutum fuerit, et massa fiat emplastri consistentiæ. Ope aquæ malaxetur et in magdalides formetur emplastrum.

□ Emplastrum Conii maculati.

(*Emplastrum Cicutæ.*)

Skarntyde-Plaster.

Rc. **Ceræ flavæ Libram unam,**
Colophonii,
Olei Olivarum,
singulorum Libram dimidiam.

Quibus colliquatis, colatis, nonnihil refrigeratis admisceatur

Pulveris Herbæ Conii maculati Libra una,

ut fiat emplastrum.

Eodem modo paretur

Emplastrum Hyoscyami, *Bulmeurt-Plaster.*

Emplastrum defensivum rubrum.

Defensiv-Plaster.

Rc. Emplastri communis Libras sex,
Ceræ flavæ Uncias quatuor.
Quibus colliquatis addantur
Terebinthinæ venetæ,
Olibani pulverati,
singulorum Unciæ quatuor,
Colcotharis Vitrioli Unciæ sex.
Qua ex massa bene commixta formentur lege artis magdalides.

□ Emplastrum de Euphorbio.

(*Emplastrum ischiadicum.*)

Euphorbium-Plaster.

Rc. Picis nigræ Uncias quatuor,
Euphorbii pulverati Drachmam et dimidiam,
Terebinthinæ venetæ Drachmas sex.
Pici colliquatæ admisceantur euphorbium et terebinthina. Massa deinde in capsulas ferreas stanno obductas effundatur.

□ Emplastrum foetidum.

(*Emplastrum resolvens Schmuckeri.*)

Dyvelsdræks-Plaster.

Rc. Ammoniaci depurati Uncias duodecim,
Asæ foetidæ depuratæ Uncias quatuor.
Quibus igne leni emollitis immisceantur
Saponis hispanici pulverati Unciæ duæ,
Olei Olivarum Uncia una.
Qua ex massa bene commixta lege artis fiat emplastrum.

Emplastrum de Galbano crocatum.

Safranholdigt Galbanum-Plaster.

Rc. Emplastri Meliloti,
— communis,
singulorum Uncias tres,
Ceræ citrinæ Uncias duas.

Quibus colliquatis et nonnihil refrigeratis addantur

Galbani depurati Unciæ sex,
Terebinthinæ venetæ Uncia

bene exstinctæ. Tum prope refrigeratis addantur

Croci pulverati Drachmæ sex.

Qua ex massa lege artis formentur magdalides, quæ loco sicco serventur.

□ Emplastrum gummosum.

Gummi-Plaster.

Rc. Emplastri communis Libras duas,
Ceræ flavæ Uncias quatuor.

Quibus colliquatis, nonnihil refrigeratis addantur

Ammoniaci depurati,
Galbani depurati,
singulorum Unciæ duæ,
Terebinthinæ venetæ Unciarum duarum

ope bene exstinctæ. Tum massæ prope refrigeratæ immisceatur

Orleani, spiritu bene exstincti, quantum sufficit,

ut colorem solitum fusco-rubescentem obtineat massa.

Formentur inde magdalides.

□ Emplastrum Hydrargyri.

(Emplastrum mercuriale.)

Merkurial-Plaster.

Rc. Emplastri communis Libras duas,
Ceræ flavæ Uncias sex.

Liquentur leni calore, deinde ab igne remotis addantur

Hydrargyri depurati Unciæ octo,
Terebinthinæ communis Unciis quatuor

antea diligenter agitando bene exstinctæ. Exacte misceantur, ut fiat emplastrum.

Emplastrum de Lapide calaminari.

Galmeie-Plaster.

Rc. Emplastri communis,
Lapidis calaminaris præparati,
singulorum Libram cum dimidia,
Ceræ flavæ,
Sebi hircini, singulorum Uncias sex,
Terebinthinæ communis Unciam.

Colliquentur et commisceantur, ut fiat emplastrum.

□ Emplastrum Manus Dei.

Guds-Haands-Plaster.

Rc. Emplastri communis Libras tres.

Cui liquefacto addantur

Pulveris Æruginis Uncia et dimidia.

Lege artis coquantur, donec colorem fusco-rubescentem accipiat massa, in qua leni igne liquefiant

Ceræ flavæ Unciæ octo.

Tum agitatione immisceantur

Pulveris Galbani,
— Ammoniaci,
— Olibani,
— Radicis Aristolochiæ,
singulorum Uncia,
— Mastichis,
— Myrrhæ, singulorum Drachmæ duæ.

Bene commixta inde formentur magdalides.

□ Emplastri Meliloti.

Meloten-Plaster.

Rc. Resinæ Pini Libras tres,
Ceræ flavæ Libram unam et dimidiam,
Sebi cervini Libras duas,
Olei Olivarum Libram dimidiam.

Quibus lege artis colliquatis et colatis addantur

Ammoniaci depurati leni igne emolliti Unciæ quatuor.

Quæ aliqua massæ parte bene exstinguantur, ut reliquæ parti melius deinde immisceri possit. Tum massæ prope refrigeratæ paulatim addatur

Pulveris Herbæ cum Floribus Meliloti Libra una et dimidia.

Omnibus bene commixtis, inde formentur magdalides.

Emplastrum Minii camphoratum.

(*Emplastrum noricum.*)

Nürnberger-Plaster.

Rc. Olei Olivarum Libram unam,
Minii subtilissime pulverati Uncias octo.

Continuo agitando coquantur, donec colorem fuscum et consistentiam molliorem acquirant. Tum addatur

Ceræ flavæ Uncia cum dimidia.

Massæ prope refrigeratæ immisceantur

Camphoræ pauxillo Olei Olivarum tritæ Drachmæ duæ.

Massa bene commixta deinde in capsulas papyraceas effundatur atque refrigerata in taleolas discindatur.

Emplastrum Minii camphoratum (ad modum Kjöngii)

Emplastrum oxycroceum.

Safrans-Plaster.

Rc. **Colophonii,**
Ceræ flavæ, singulorum Libram.

Quibus invicem colliquatis et colatis addantur

Galbani depurati Unciæ sex,
Terebinthinæ Unciarum trium

ope bene exstinctæ. Massæ prope refrigeratæ immisceantur

Croci pulverati Unciæ duæ.

Omnibus bene commixtis, inde formentur magdalides.

□ Emplastrum resolvens.

Fordelende Plaster.

Rc. **Emplastri gummosi,**
— saponati,
— Hydrargyri,
singulorum Partes æquales.

E quibus leni igne liquatis formentur magdalides.

□ Emplastrum saponatum.

Sæbe-Plaster.

Rc. Emplastri communis Libras tres,
Ceræ flavæ Libram dimidiam.

Quibus leni igne liquefactis sensim et sub perpetua agitatione admisceantur

Saponis hispanici pulverati Unciæ quatuor.

Tum massæ prope refrigeratæ addatur

Camphoræ pauxillo Olei Olivarum contritæ Uncia dimidia.

E massa bene commixta formentur magdalides.

Emplastrum Spermatis Ceti.

Hvalrav-Plaster.

Rc. Ceræ albæ Uncias quatuor,
Spermatis Ceti Uncias duas.

Quibus simul liquatis addatur

Galbani depurati Uncia,
Terebinthinæ Unciæ ope bene exstincta.

Bene commiscendo fiat lege artis emplastrum.

Emplastrum stibiatum.

Koppetrækkende Plaster.

Rc. Emplastri adhæsivi albi Partes tres.

Leni igne liquantur, et deinde diligenter immisceatur

Tartari stibiati pulverati Pars una.

Emplastrum sticticum.

Beeg-Plaster.

Rc. **Ceræ citrinæ,**
Resinæ Pini,
Picis nigræ, singulorum Libram,
Sebi hircini Unciam et dimidiam.

E quibus lege artis colliquatis et colatis formentur magdalides.

Emulsio ammoniacalis.

Ammoniak-Emulsion.

Rc. **Ammoniaci depurati,**
Gummi arabici pulverati, singulorum Drachmas duas.

In mortario bene contundantur cum

Aquæ Petroselini Unciis sex.

Cui addatur

Oxymellis scillitici Uncia.

Misceantur.

Emulsio Amygdalarum.

Mandel-Emulsion.

Rc. **Amygdalarum dulcium Partes duas.**

Cum pauxillo aquæ in mortario contundantur, donec massa homogenea pultiformis fiat, tum agitando sensim affundantur

Aquæ fontanæ Partes sedecim.

Quo liquore per linteum colato solvatur

Sacchari albi Pars una.

Paretur ex tempore.

Eodem modo paretur

Emulsio Seminum Papaveris, *Valmue-Frö-Emulsion.*

Emulsio communis.

Almindelig Emulsion.

Rc. Seminum Papaveris albi,
— Cucumeris,
Amygdalarum dulcium,
singulorum Unciam dimidiam,

quæ cum

Aquæ fontanæ Libra una,

eodem modo, quo emulsio amygdalarum contundantur. Colaturæ addatur

Sacchari albi Uncia dimidia.

Paretur ex tempore.

Emulsio camphorata.

Kamfer-Emulsion.

Rc. Emulsionis communis Uncias octo,

quibus addantur

Camphoræ grana duodecim,

quæ lege artis cum emulsione commisceantur.

Paretur ex tempore.

Emulsio Guajaci.

Guajak-Emulsion.

Rc. Resinæ Guajaci nativæ pulveratæ Drachmas tres,
Gummi arabici pulverati Drachmam.

In mortario bene contundantur cum

Aquæ Menthæ crispæ Unciis sex.

Emulsio oleosa.

Olie-Emulsion.

Rc. Olei Papaveris recens expressi Uncias duas,
Mucilaginis Gummi arabici,
Syrupi Sacchari,
singulorum Unciam.

Quibus bene conquassatis sensim addantur

Aquæ fontanæ Unciæ quatuor.

Paretur ex tempore.

□ Extractum Absynthii.

Malurt-Extract.

Rc. Summitatum Absynthii recens siccatarum et minutim concisarum quantum vis,
Aquæ communis fervidæ decuplum.

Sæpius agitando vasi idoneo ingesta per horas triginta sex seponantur, postea prelo fortiter exprimantur. Parti remanenti iterum affundatur

Aquæ communis fervidæ quintuplum,

quæ miscela per duodecim horas digesta prelo quoque subjiciatur. Tum liquores ita expressi seponantur, ut partes turbidæ fundum petant, liquor innatans limpide decanthetur et per pannum coletur. Infusum colatum deinde leni igne primum ad tertiam ejus voluminis partem et deinde balneo vaporis cautissime continuo agitando ad consistentiam mellis spissioris evaporetur. Extractum refrigeratum in olla murrhina aut porcellanea, charta cerata obtecta, servetur.

Nota. Infusum, quod ad hoc et alia ad eandem normam paranda extracta adhibetur, etiam in apparatu ad operationem „Deplacement" *quæ vocatur instituendam instructo apte parari potest. Notandum tamen, non adhibendum esse infu-*

sum, sub finem operationis nimis dilutum et minus coloratum, ne diutius evaporando vires extracti nimis alterentur et destruantur.

Eadem ratione parentur

□ **Extractum Cardui benedicti,** *Korbendikt-Extract.*
□ — **Centaurii minoris,** *Tusindgylden-Extract.*
□ — **Chamomillæ,** *Chamille-Extract.*
— **Dulcamaræ,** *Bittersöd-Extract.*
□ — **Gentianæ,** *Enzian-Extract.*
— **Millefolii,** *Röllike-Extract.*
□ — **Rhabarbari,** *Rhabarbra-Extract.*
— **Sarsaparillæ,** *Sarsaparille-Extract.*
□ — **Trifolii fibrini,** *Bukkeblade-Extract.*

Nota. Extractum Rhabarbari ad siccitatem est evaporandum.

□ Extractum Aconiti.

Stormhat-Urt-Extract.

Rc. **Herbæ Aconiti siccatæ Libram.**

Cui minutim concisæ affundantur

Spiritus Vini rectificati Libræ quatuor.

Digerantur quadraginta octo horas; tum liquor ex iis expressus filtretur et separetur. Parti remanenti deinde immittantur

Aquæ communis fervidæ Libræ octo,

quæ quoque miscela post digestionem quadraginta octo horarum exprimatur. Liquori aquoso inde parato, modico calore ad tertiam partem redacto et refrigerato, admisceatur

Spiritus Vini rectificatus,

quamdiu ille turbatur. Quo facto miscela seponatur, donec limpida fiat, cui a sedimento limpide decanthatæ et colatæ

tinctura supra dicta admisceatur, et destillatione blanda spiritus eliciatur. Tum pars remanens, vasi porcellaneo immissa, balneo vaporis ad spissitudinem extracti evaporetur. Vase porcellaneo, charta cerata obtecto, loco sicco servetur.

Eodem modo parentur

Extractum Angelicæ, *Angelica-Extract.*
— **Calami aromatici,** *Calmus-Extract.*
— **Chinæ spirituosum,** *spirituös China-Extract.*
□ — **Colocynthidis,** *Coloquint-Extract.*
— **Enulæ,** *Alant-Extract.*
— **Lactucæ virosæ,** *giftig Lactuc-Extract.*

□ Extractum Aloes.

Aloe-Extract.

Rc. **Aloes lucidæ Libram dimidiam.**

Cui in pulverem redactæ affundantur

Aquæ destillatæ Libræ duæ.

Per quadraginta octo horas sæpius agitando macerentur, atque, quum partes resinosæ fundum bene petierunt, liquor innatans limpidus, colatus in patina porcellanea, balneo vaporis imposita, ad consistentiam massæ pilularis evaporetur, quæ deinde vase exemta ita siccetur, ut pulverari possit.

Eadem ratione paretur

Extractum Myrrhæ, *Myrrha-Extract.*
□ — **Opii,** *Opium-Extract.*

□ Extractum Belladonnæ.

Belladonna-Extract.

Herba Belladonnæ recens,

aquæ sufficiente parte addita, in mortario lapideo in massam pultiformem contundatur. Succus prelo expressus ebulliat et deinde a partibus coctione separatis colando liberatus balneo vaporis diligentissime ad consistentiam mellis evaporetur. Partibus herbæ expressæ remanentibus et ebullitione separatis infundatur

Spiritus Vini rectificati duplum harum ponderis,

et deinde per viginti quatuor horas simul digesta exprimantur. Liquor expressus ad volumen dimidium destillatione redigatur et deinde balneo vaporis ad consistentiam mellis evaporetur, quod extractum spirituosum cum aquoso antea parato commisceatur et denuo ad consistentiam extracti spissioris cautissime evaporetur. In vase porcellaneo, charta cerata obtecto, loco sicco servetur.

Eadem ratione parentur

Extractum Chelidonii, *Chelidonie-Extract.*
□ — **Conii maculati,** *Skarntyde-Extract.*
□ — **Hyoscyami,** *Bulmeurt-Extract.*
□ — **Stramonii,** *Pigæbleurt-Extract.*

Nota. Quum hæ plantæ, nisi feræ, viribus sufficientibus destitutæ sint, atque aliæ in Dania raro indigenæ, aliæ, licet singulis in locis frequenter crescant, tamen alibi raro occurrant, omnes pharmacopolæ ad hanc normam nuper commendatam extracta earum parare non possunt. Qua de causa, ubi herbæ feræ recentes non adsunt, liceat pharmacopolis extracta ex herbis siccis, e locis ubi feræ crescunt importatis, ad normam extracti aconiti parare.

Extractum Cascarillæ.

Cascarille-Extract.

Rc. **Corticis Cascarillæ minutim contusæ Libram,**
Aquæ communis Libras sedecim.

Coquantur, donec libræ octo remaneant, quæ deinde a cortice colentur. Cortici ita expresso remanenti iterum affundantur

Aquæ communis Libræ sedecim,

atque, decoctione ad dimidium facta, liquor coletur. Liquores colati commixti seponentur, ut fæces deponi possint, et deinde limpide decanthati leni igne evaporentur, donec libræ quatuor remaneant, quæ balneo vaporis ad consistentiam extracti evaporentur.

Eodem modo parentur

Extractum Chinæ regiæ aquosum, *Vandholdig Konge-China-Extract.*

— **Quassiæ,** *Qvassie-Extract.*

— **Ratanhiæ,** *Ratanhia-Extract.*

Extractum Chinæ regiæ frigide paratum.

Kold tilberedet Konge-China-Extract.

Rc. **Corticis Chinæ regiæ pulverati Libras duas,**
Aquæ communis Libras duodecim.

Subinde fortiter agitatæ per horas quadraginta octo macerentur. Pars remanens expressa cum

Aquæ communis Libris octo,

denuo eodem modo tractetur, quæ maceratio semel aut bis adhuc repeti potest. Liquores colati commisceantur, atque, ut subsidant, seponantur. Filtrati deinde in catinum stanneum, balneo vaporis impositum, immittantur et leni igne, donec sesquilibra remaneat, evaporentur; quæ refrigerata per

chartam bibulam filtretur et in vase porcellaneo ope balnei vaporis ad extracti consistentiam inspissetur. In vase porcellaneo charta cerata obtecta servetur.

Eadem ratione paretur

Extractum Valerianæ frigide paratum, *kold tilberedet Baldrian-Extract.*

Extractum Conii maculati siccatum.

Törret Skarntyde-Extract.

Stratum tenue extracti conii maculati vasi porcellaneo immissum eo caloris gradu, qui ad tincturas digerendas solito adhibetur, ita siccetur, ut in pulverem conteri queat. Vitro bene clauso loco sicco contritum servetur.

Eodem modo paretur

□ **Extractum Hyoscyami siccum,** *törret Bulmeurt-Extract.*

et alia **Extracta siccata.**

Nota. Medici, si hæc extracta adhibere cupiunt, nunquam negligant, addito vocabulo "siccatum" illa designare. Deficiente hoc adjectivo, pharmacopola extractum normalis consistentiæ dispenset.

□ Extractum Ferri pomatum.

Æblesyret Jern-Extract.

Rc. **Limaturæ Ferri puri Libram dimidiam,**
Succi Pomorum acidulorum recens expressi et colati Libras quatuor.

Loco tepido sæpius agitando per aliquot dies digerantur, deinde in aheno ferreo leni igne coquantur, donec dimidia pars remaneat. Liquor per linteum colatus, ut subsidat, seponetur,

atque limpide decanthatus ope balnei vaporis ad consistentiam extracti evaporetur.

Extractum Filicis Maris æthereum.

Med Æther tilberedt Brægne-Extract.

Rc. **Radicis Filicis Maris pulveratæ Unciam,**
Ætheris sulphurici Uncias octo,

quæ vasi probe claudendo immissæ sæpius agitando seponentur, donec liquor colorem flavescentem obtinuerit. Æther deinde a pulvere limpide decanthetur, atque iteretur operatio. Liquores colati et commixti ætherem sulphuricum abstrahendo ad quartam partem redigantur, atque pars remanens extracti balneo vaporis ad consistentiam extracti normalem inspissetur.

□ Extractum Graminis liquidum.

Tynd Græsrod-Extract.

Rc. **Radicis Graminis recentis Libras duodecim.**

Concisæ mortario lapideo contundantur, dum

Aquæ communis Libræ novem

sensim addantur. Succus inde prelo expressus subsidendo depuretur et deinde coquatur, ut partes albuminosæ secerni queant. Quo facto, succus coletur et leni igne ad consistentiam mellis recentis evaporetur, quod vasis bene tectis loco modice calido servetur.

Eadem ratione paretur

□ **Extractum Taraxaci liquidum,** *Tynd Løvetand-Extract.*

Nota. Quum ad pilulas parandas extractum graminis et taraxaci normalis consistentiæ interdum præscribatur, hæc quoque haberi debent; obtineri possunt, si extractum liquidum ad justam

extracti spissitudinem evaporetur. Si ob humiditatem loci extractum liquidum mucorem attrahat, sufficiat extractum spissioris consistentiæ servare, et, si liquidum præscribitur, illud debita aquæ parte diluere.

tradam mixtura spiritusum

Extractum Nucum Juglandum.

Valnödde-Skal-Extract.

Rc. **Putamina recentia Nucum Juglandum,**

cum

Aquæ communis pauxillo mixta,

contundantur in vase lapideo vel ligneo. Liquor inde expressus balneo vaporis ad extracti spissitudinem redigatur.

□ Extractum Nucum vomicarum.

Rævekage-Extract.

Rc. **Nucum vomicarum limatarum quantum placet,**
Spiritus Vini rectificatissimi quantum sufficit,

ut eo contegantur nuces limatæ. Quæ miscela triginta sex horas digeratur, dum vas subinde agitetur. Liquor deinde decanthatione et expressione separetur. Pars nucum remanens nova quantitate spiritus affusa iterum et sæpius digeratur, donec spiritus neque amplius coloretur neque saporem amarum obtineat. Liquores commixti filtrati deinde destillentur, donec sexta pars remaneat, quæ balneo vaporis ad consistentiam massæ pilularis evaporetur. Vase porcellaneo caute servetur.

Extractum Rhei compositum.

Sammensat Rhabarbra-Extract.

Rc. **Extracti Rhei Uncias duas,**
— Aloes Drachmas quinque.

Leni calore aquæ destillatæ sufficiente quantitate solutis admisceatur

Saponis jalapini Uncia,

Spiritus Vini rectificati quantitate sufficiente

soluta.

Tum continuo agitando in consistentiam massæ pilularis ope balnei vaporis redigatur.

Nota. Omnia extracta cupro, quod e vasis negligentia forsan admisceri possit, libera sint. Ferro polito, solutioni extracti immisso, cuprum bene detegitur; stratum enim cupri, quod in eo deponitur, si liquore ammonii abluitur, accessu aëris solvitur et liquori ammonii colorem cyaneum impertit.

Farina Hordei præparata.

Bryst-Meel.

***Rc.* Farinæ Hordei quantum lubet.**

In saccum linteum immittatur, qui ligatura ita claudatur, ut inter farinam et ligaturam spatium quatuor circiter pollicum sit. Tum saccus in aheno cupreo, stanno obducto et aqua repleto, ita suspendatur, ut aqua tegatur neque ulibi parietes aheni attingat. Per quatuordecim horas aqua sine interruptione coquatur, lebete continuo aqua bene repleto. Quo facto, massa farinacea ex aheno eximatur, ejusque pars exterior, grisea, lubrica cultro bene scindente auferatur; interior autem massa in taleolas scissa calore 30°—40° C. bene siccetur, ut deinde in pulverem redigi possit, qui vase clauso loco sicco servetur.

□ Fel Tauri inspissatum.

Indkogt Oxe-Galde.

Fel Tauri recens, colatum, ope balnei vaporis ad extracti

consistentiam redigatur. Loco frigido in vasis bene clausis servetur.

Ferrum hydrocyanicum.

Blaasyret Jernilte.

Rc. **Ferri sulphurici puri quantum libet,**
Aquæ destillatæ fervidæ quantum sufficit,
ut solvatur. Solutio cucurbitæ vitreæ immissa coquatur, atque inter coquendum tamdiu

Acidum nitricum purum

addatur, quamdiu liquor effervescat. Tum, ut oxydum ferricum, quod inde secernitur, solvi possit,

Acidi sulphurici sufficiens Pars

addatur; liquor autem saturate fuscus, ita obtentus, aqua diluatur et filtretur.

Cui deinde

Kali ferreo-borussicum venale,
Aquæ destillatæ quantitate sufficiente

solutum, addatur, donec sedimentum non amplius oriatur. Sedimentum coeruleum inde ortum aqua fervida diligenter abluatur atque siccatum bene servetur.

Ferrum jodatum

□ Ferrum oxydatum fuscum.

(*Ferrum subcarbonicum.*)

Kulsyreholdigt Jernilte.

Rc. **Ferri sulphurici puri crystallisati quantum vis,**
Aquæ destillatæ fervidæ quantum sufficit,
ut solvatur. Solutioni adhuc calidæ filtratæ instilletur

Solutio Natri carbonici crudi fervida,

quamdiu sedimentum inde efficitur, quod filtro separetur et

aqua fervida sedulo edulcoretur. Tum inter chartam bibulam leni calore cito siccatum vase bene clauso servetur.

Sit pulvis subtilissimus, rufo-fuscus, inodorus, insipidus, natro carbonico et sulphurico liber, quæ salia, si cum aqua coquitur oxydum ferri, extrahi possunt. Acido muriatico, nullo calore adhibito, plane solvatur, et recens paratus eo effervescat.

Ferrum oxydatum fuscum saccharatum.

(*Ferrum subcarbonicum saccharatum.*)

Sukkerholdig kulsyret Jernilte.

Liquor, qui, ut in ferro sulphurico crystallisato describendo dictum est, solutione frustulorum ferri puri ope acidi sulphurici diluti obtinetur, recens paratus et filtratus in vitrum aptum epistomio subereo munitum immitatur et

Solutione Natri carbonici crudi

præcipitetur. Ne sedimentum ferri oxydulati carbonici oxygenium ex aëre attrahat et acidum carbonicum eo auferatur, necesse est, mox post præcipitationem vitrum quantum fieri potest impletum esse et subere claudi. Quum sedimentum fundum bene petiit et liquor innatans decanthatus est, edulcoratio sedimenti eadem nuper dicta cautela in ipso vitro instituatur. Tum sedimentum ita edulcoratum, quam citissime fieri potest, lege artis prelo exprimatur, et massæ inde effectæ omnino prope siccæ

Sacchari albi pulverati Pondus æquale

admisceatur. Miscela deinde calore 40° C. non excedente siccata in pulverem subtilissimum teratur, qui vitro bene clauso servetur.

Sit pulvis fusco-nigrescens; aqua commixtus acido sulphurico diluto addito magnam acidi carbonici partem evolvat.

Ferrum pulveratum.

Pulveriseret Jern.

Limatura ferri puri in mortario ferreo conteratur. Pulvis

subtilissimus, qui inde obtinetur, per linteum arctioris texturæ separetur et vitro obturato servetur.

□ Ferrum sulphuratum.

Svovel-Jern.

Limatura ferri cum sulphuris depurati pari pondere stratum super stratum crucibulo immittatur; crucibulum inter prunas reponatur et incandescat, donec sulphur superfluum deflagraverit et massa liquefacta fuerit, quæ refrigerata et dein comminuta in vase bene clauso servetur.

Sit coloris nigri et affuso acido sulphurico diluto aërem hydrogenii sulphurati, odore facile dignoscendum, emittat.

□ Ferrum sulphuricum crystallisatum.

Crystalliseret svovelsyret Jernilte.

Rc. **Acidi sulphurici crudi Uncias duodecim,**
Aquæ fontanæ Partibus quatuor

antea dilutas. Quibus in cucurbitam vitream immissis addatur

Frustulorum Ferri tantum,

ut pars ferri non soluta remaneat. Tum solutio filtrata lege artis in crystallos redigatur, quæ vasis bene obturatis serventur.

Sint crystalli coloris dilute prasini, accessu aëris in pulverem flavescentem delabantur, saporis sint styptici, duabus partibus aquæ solubiles.

Nota. Omnia præparata ferri hic recensita, ferro sulphurato excepto, sint cupro plane libera, quod dignoscitur, si lamina ferrea polita, solutioni ferri imbuta, strato cupri obtegitur, aut si, oxydo ferri ope ammonii caustici præcipitato, liquor innatans colorem coeruleum obtinet. Sin autem perexigua cupri pars inest, non ita coloretur ammonium; tunc autem detegi potest cuprum, si liquori ammonii ope acidi sulphurici saturato kali ferreo-borussicum solutum additur, unde sedimentum fuscum oritur.

Gelatina Lichenis Carragheni.

Carraghen-Mos-Gelee.

Rc. Lichenis Carragheni concisi Drachmas duas,
Lactis vaccini Uncias duodecim.

Bene ebulliant et deinde per cribrum setaceum aut pannum colentur. Post refrigerationem gelatina apparet.

Paretur ex tempore.

Gelatina Lichenis islandici.

Islandsk Mos-Gelee.

Rc. Lichenis islandici concisi Uncias duas.

Aqua frigida bene ablutæ coquantur cum

Aquæ communis Libris tribus,

donec libra circiter supersit. Per pannum exprimatur et coletur decoctum, quod deinde leni igne aut balneo vaporis ad consistentiam gelatinæ evaporetur.

Paretur ex tempore.

□ Glandes Quercus tostæ.

Agern-Kaffe.

Glandes Quercus decorticatæ et leviter siccatæ in vase ferreo semper agitando torreantur, donec fragiles fiant et colorem fuscum obtineant. Refrigeratæ in pulverem minus subtilem redigantur, qui probe compressus in vase fictili bene clauso servetur.

Globuli Tartari martiati.

Jern-Viinsteen-Kugler.

Rc. Limaturæ Martis Uncias quatuor,
Tartari crudi pulverati Uncias sedecim.

Quæ commixta et vasi figulino vitreato immissa tanto aquæ humectentur, ut massa pultiformis inde oriatur, quæ dum sæpius agitatur, balneo vaporis ita digeratur, ut aqua evaporatione consumta restituatur, donec massa quasi resinosa appareat, ejusque minima pars cum aqua solutionem flavo-viridescentem formet. Tum inde formentur globuli ponderis unciæ unius, qui vase clauso loco sicco serventur.

Sint coloris nigerrimi, nitentes, a punctis aut maculis ochraceis et rimis liberi, duodecim aquæ partibus sine magno residuo solubiles.

□ Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.

(Mercurius præcipitatus albus.)

Hvidt Qviksölv-Præcipitat.

Rc. **Hydrargyri muriatici corrosivi,**
Ammonii muriatici depurati, singulorum Uncias octo.

Seorsim pulverata et invicem bene mixta solvantur

Aquæ destillatæ fervidæ Libris octo.

Liquori refrigerato ac filtrato sensim admisceatur

Natrum carbonicum crudum aquæ destillatæ quantitate sufficiente solutum,

quamdiu sedimentum albissimum inde oritur, dum caveatur, ne versus finem præcipitationis nimis magna solutionis natri pars addatur, quo efficiatur, ut sedimentum colorem flavescentem facile obtineat. Præcipitatione peracta, liquore innatante caute decanthato, sedimentum aqua destillata frigida bene edulcoretur, quod deinde loco umbroso exsiccatum in pulverem redigatur et vitro bene clauso charta nigra velato servetur.

Sit pulvis albissimus, acido muriatico ita plane solubilis, ut neque effervescentia oriatur neque residuum relinquatur, æstu omnino avolet, atque, si kali caustico tractetur, odorem ammonii evolvat.

Hydrargyrum bijodatum.

(Deutojoduretum Hydrargyri.)

Qviksölv-Tvejoduret.

Rc. **Hydrargyri muriatici corrosivi Unciam,**

solvatur

Aquæ destillatæ Libris duabus.

Cui solutioni filtratæ addatur

Kali hydrojodicum eadem aquæ destillatæ ratione solutum,

quamdiu sedimentum coloris pulchre scarlatinosi efficitur, quod bene edulcoratum et diligenter siccatum vitro, charta nigra velato, servetur.

Sit pulvis coloris pulchre scarlatini, aqua haud solubilis, spiritu coquente solubilis.

□ Hydrargyrum depuratum.

Renset Qviksölv.

Rc. **Hydrargyri Libras duas.**

Immittantur retortæ balneo arenæ impositæ ita capaci, ut duæ tertiæ ejus voluminis partes tantum impleantur; superficies autem hydrargyri, quantum fieri potest, filis ferreis tortis obtegatur. Tum excipulum dimidia ejus voluminis parte aquæ impletum et sine luto ita retortæ adjungatur, ut rostrum ejus aquam non attingat. Convenit etiam rostrum retortæ charta ita obtegere, ut pars ejus simul cum rostro in excipulum inducatur. Ignis deinde augeatur, donec hydrargyrum ebulliat, atque pergat destillatio, donec unciæ viginti hydrargyri transierint, quæ ab aqua separatæ et siccatæ per cuculum chartaceum in vitrum bene clausum perfundantur.

Sit coloris stannei, admodum splendidi, tactu in globulos, super char-

tam currendo nil sordidi relinquentes dissiliat. Æstu avolet nullo residuo relicto. Sit ponderis specifici 13,5.

Hydrargyrum jodatum.

(*Protojoduretum Hydrargyri.*)

Qviksölv-Forjoduret.

Rc. **Liquoris Hydrargyri oxydulati nitrici Uncias quatuor,**

Aquæ destillatæ Libras duas.

Cui mixtioni filtratæ addatur

Kali hydrojodici viginti aquæ destillatæ partibus solutum,

quamdiu sedimentum flavum nonnihil viridescens oritur, quod bene edulcoratum et diligenter siccatum vitro, charta nigra velato, servetur.

Sit pulvis flavus in colorem viridescentem nonnihil tendens; aqua et spiritu insolubilis, igne omnino avolans.

□ Hydrargyrum muriaticum corrosivum.

(*Mercurius sublimatus corrosivus.*)

Qviksölv-Sublimat.

Rc. **Hydrargyri Uncias sedecim.**

Quibus retortæ vitreæ immissis affundantur

Acidi sulphurici crudi Unciæ viginti,

et fiat destillatio, (dum aër sulphurosus evolutus in aquam apto modo inferatur) donec quæ continet retorta in massam albam siccam conversa sint.

Cui sali admisceatur

Natri muriatici siccati Pars æqualis,

quæ mixtio e cucurbita sublimetur aut melius e retorta, tam capace, ut tertiam ejus partem tantum impleat massa, quæ balneo arenæ imponatur, et cujus rostrum sine luto cum excipulo conjungatur. Ignis initio sit remissior, qui autem, vaporibus aquæ et acidi muriatici expulsis, gradatim augeatur. Sublimatione peracta et vase fracto, sublimatum album crystallinum caute colligatur et secundum leges de venenis constitutas in vitro, probe obturato et charta nigra velato, cautissime servetur.

Sit album, quasi crystallis minoribus constitutum, saporis acerrimi, metallici, viginti partibus aquæ frigidæ et partibus tribus aquæ coquentis, spiritu et æthere sulphurico solubile. Aëri expositum sit constans, æstu facile et omnino avolet.

□ Hydrargyrum muriaticum mite.

(*Calomel, Mercurius dulcis.*)

Forsödet Qviksölv.

***Rc.* Hydrargyri Partes octo,**
Acidi nitrici Partes octo.

Cucurbitæ vitreæ immissa digerantur, quamdiu hydrargyrum solvitur, quæ digestio postea calore aucto continuetur, donec liquor flavescere incipiat. Solutioni ita factæ admisceatur

Aquæ destillatæ duodecuplum,

atque, si inde liquor turbetur,

Acidum nitricum,

guttatim inter perpetuam agitationem addatur, donec iterum limpidus fiat. Ut autem caveatur, ne cum chlorureto hydrargyri oxydum hydrargyrosum præcipitetur, necesse est, pars liquoris majore aquæ parte ante diluatur, ut inde tentetur, num liquor denuo turbetur.

Sit ita expertum est, solutionem hydrargyri oxydulati nitrici

acidi majori aquæ parte haud turbidam fieri, liquor ab hydrargyro non soluto decanthetur, eique affundantur

Natri muriatici Partes novem,
Aquæ destillatæ Partibus trecentis solutæ.

Sedimentum inde ortum, album, voluminosum cum liquore innatante, dum sæpius agitetur, aliquot horas digeratur, quo facto sedimentum, quum fundum bene petiit, et liquor innatans decanthatus est, aquæ destillatæ fervidæ ope diligentissime edulcoretur et deinde loco umbroso bene siccetur. Tum vitro bene clauso, charta nigra velato, caute servetur.

Sit pulvis subtilissimus, albus, ab hydrargyro muriatico corrosivo et nitrate hydrargyroso basico omnino liber. Sal prior detegitur, si mercurius dulcis cum spiritus vini alcoholisati sextuplo coquitur, et liquor filtratus aut liquore kali caustici aut aqua calcis sedimentum aurantiacum efficit. Sal posterior inest, si pars mercurii dulcis in tubulo vitreo igni tanto, ut evaporet, exposita vapores acidi nitrosi evolvit.

□ Hydrargyrum oxydatum rubrum.

(Mercurius præcipitatus ruber.)

Rödt Qviksölv-Ilte.

***Rc.* Hydrargyri depurati Libram,**
cui in cucurbitam vitream immissæ

Acidum nitricum
sensim addatur, donec hydrargyrum igne primum leni, deinde fortiore solutum sit. Solutio ad siccitatem evaporetur et sal, qui inde obtinetur, cum

Hydrargyri depurati Libra
ad perfectam globulorum exstinctionem commisceatur. Quæ mixtio loco calido exsiccata retortæ nullo excipulo instructæ immittatur, atque igni, cito ad rubescentiam prope adaucto, tamdiu exponatur, donec vapores aëris nitrosi non amplius evolvantur. Tum massa rubicunda, quæ in fundo retortæ

reperitur, in pulverem subtilissimum lævigetur, qui loco umbroso siccatus in vitro, charta nigra velato, secundum leges de venenis constitutas servetur.

Sit pulvis subtilissimus, flammæ tubi ferruminatorii expositus omnino avolet atque acido nitrico omnino et sine effervescentia solvatur. Aqua hoc cum oxydo decocta chartam exploratoriam coeruleam haud rubefaciat.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum.

(*Mercurius solubilis Hahnemanni.*)

Sort Qviksölv-Ilte.

Rc. **Liquoris Hydrargyri oxydulati nitrici recens parati,**
Aquæ destillatæ,
singulorum Uncias octo.

Quibus commixtis inter continuam agitationem instilletur

Liquoris Ammonii caustici Uncia dimidia,
Aquæ destillatæ Unciis quatuor

antea diluta. Sedimentum inde ortum lege artis bene edulcoretur et loco umbroso leni calore exsiccatum conteratur atque vitro, bene clauso et charta nigra velato, caute et diligenter servetur.

Sit pulvis nigerrimus, sine immixtis globulis hydrargyri, igni expositus avolet, aceto concentrato ope caloris maxima parte, parva pulveris grisei quantitate relicta, solvatur. Si acido nitrico tractatur, aliqua pulveris albi pars remaneat, kali caustico tritus odorem ammoniacalem et cum acido sulphurico concentrato calefactus acidum nitricum evolvat.

Hydrargyrum stibiato-sulphuratum.

(*Æthiops antimonialis.*)

Spydglands-Mohr.

Rc. **Stibii sulphurati nigri lævigati Unciam,**
Hydrargyri depurati Unciam dimidiam.

In mortario lapideo diligentissime misceantur, aliquot aquæ guttas inter triturandum addendo, donec ne microscopii quidem ope nulli omnino hydrargyri globuli conspici possint. Servetur in vitro bene clauso.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

(*Æthiops mineralis.*)

Mineralsk Mohr.

Rc. **Hydrargyri depurati,**
Sulphuris depurati loti,
singulorum Partes æquales.

Calore modico conterantur, dum aliquot aquæ guttæ interdum inspergantur, donec microscopio ne minimi quidem hydrargyri globuli observari queant.

Infusum Saleb.

Saleb-Infus.

Rc. **Pulveris Radicis Saleb Drachmam.**

Vitro immissa cum

Aquæ fervidæ Unciis decem

lege artis sæpius et bene conquassetur, dum vitrum extra conquassandum aquæ calidæ imponatur.

Paretur ex tempore.

Infusum Senegæ compositum.

(*Decoctum Senegæ.*)

Sammensat Senega-Infus.

Rc. **Radicis Senegæ concisæ Drachmas sex,**

quibus infundantur

Aquæ fervidæ Unciæ septem.

Post digestionem quadrantis horæ colentur et deinde addantur

Pulveris Kali nitrici depurati Drachma,
Syrupi Altheæ,
Oxymellis scillitici,
singulorum Uncia dimidia.

Misceantur.

Paretur ex tempore.

□ Infusum Sennæ compositum.

(Aqua laxativa viennensis.)

Wiener-Laxeerdrik.

Rc. **Foliorum Sennæ alexandrinæ concisorum Unciam et dimidiam,**
Passularum minorum Drachmas sex,
Seminis Coriandri contusi Drachmas duas,
Aquæ ferventis quantum sufficit,

ut per horam simul digesta et deinde expressione colata uncias quatuordecim efficere possint. Quo infuso solvatur

Mannæ calabrinæ Unciæ quinque,
Kali tartarici Drachmæ quinque.

Iterum colentur.

Julapium salinum.

Almindelig Julep.

Rc. **Kali carbonici Drachmam,**
Aquæ menthæ piperitæ Uncias tres.

Quibus solutis instilletur

Aceti diluti quantum sufficit,
ut perfecte saturetur mixtio, in qua deinde
Sacchari albi Drachma una
solvatur.

Paretur ex tempore et ante filtretur, quam dispensetur.

□ Kali aceticum.

(Terra foliata Tartari.)

Edikkesyret Kali.

Rc. **Kali carbonici depurati quantum vis,**
Aceti diluti quantum requiritur,
ut neutralisentur. Liquor lebeti stanneo immissus et ad tertiam circiter partem evaporatione redactus frigescat, sedimento deposito, decanthetur, cum pulvere carbonis perfecte usti coquatur et deinde filtretur. Si liquor filtratus haud perfecte aceto saturatus apparet, tantum aceti concentrati addatur, ut eo omnino neutralisetur. Quo facto, liquor vasi porcellaneo immissus leni calore ad siccitatem evaporetur. Ne humiditatem attrahat sal, siccus in vitrum bene obturandum mox ingeratur.

Sit omnino neutrum, album et quantum fieri potest a salibus heterogeneis liberum, quare pari pondere aquæ destillatæ et quatuor partibus spiritus vini rectificatissimi, non magna insoluta parte relicta, solvatur. Aqua hydrosulphurata solutioni aquosæ affusa neque plumbum neque alia metalla indicet.

□ Kali carbonicum depuratum.

(Cineres clavellati depurati.)

Renset kulsyret Kali, renset Potaske.

Rc. **Kali carbonici crudi,**
Aquæ ferventis,
singulorum Partes æquales.

Solutio inde facta per aliquot dies seponatur, ut terra silicea et alia heterogenea præcipitari possint, deinde per manicam linteam filtretur. Liquor limpidus tum evaporetur, donec in superficie cuticula appareat; lixivium autem seponatur, ut salia heterogenea crystallisatione separari possint. Deinde liquor innatans limpide decanthetur et evaporatione in lebete ferreo polito in pulverem siccum redigatur. Vase bene obturato servetur.

Sit albissimum, siccum, æquo pondere aquæ destillatæ frigidæ facile solubile. Terra silicea ut sedimentum gelatinosum apparet, si solutio acido nitrico saturatur, aut si solutio ammonii muriatici solutioni kali carbonici additur. Metallis et salibus heterogeneis, quantum fieri potest, sit liberum.

□ Kali carbonicum purum.

(*Sal Tartari.*)

Reent kulsyret Kali.

Tartarus crudus vasi idoneo immissus aut charta involutus inter prunas positus ardenter uratur, donec sine flamma et vapore candescat. Massa remanens carbonata aqua destillata elixivetur, liquor filtretur et ad siccitatem evaporetur; sal pari aquæ destillatæ frigidæ pondere deinde solutus filtretur et iterum evaporatione ad siccitatem redigatur. Tum kali ita paratum adhuc calidum in vas vitreum immittatur, in quo bene clauso servetur.

Sit albissimum, salibus heterogeneis prope, terra silicea et alumina omnino liberum, neque acido nitrico saturatum turbetur, neque metalla indicet aqua hydrosulphurata. Nitras baryticus et nitras argenticus solutus solutioni kali carbonici puri acido nitrico saturatæ affusus aut omnino non aut saltem minimum solutionem turbet.

□ Kali causticum fusum.

(*Lapis causticus.*)

Ætssteen.

Kali causticum siccum crucibulo argenteo aut ferreo bene

polito immissum igni gradatim aucto exponatur, donec olei instar fluat. Ita fluens mox in modulum ferreum canaliculis instructum antea calefactum, sebo illitum, effundatur, bacilli autem inde formati adhuc calidi vasi bene obturando immittantur.

Sit album aut nonnihil cinereum. Cæterum criteriis, de kali caustico sicco mox memorandis, dignoscitur.

□ Kali causticum siccum.

Tört ætsende Kali.

℞. Kali carbonici depurati Libras duas cum dimidia.

Quibus vasi ferreo bene mundato immissis affundantur

Aquæ communis Libræ viginti quinque,

et deinde sensim addantur

Calcariæ recens ustæ pulveratæ Libræ tres.

Per horam dimidiam, dum spathula ferrea agitetur miscela, coquantur. Ut tentetur, num lixivium acido carbonico aut calce omnino liberum sit, aliqua lixivii pars eximatur, quæ et aqua calcis et liquore kali carbonici exploretur. Si priore reagente turbatur liquor, plus calcis ustæ addatur; si posteriore, plus solutionis kali carbonici depurati affundatur. Tum lixivium per manicam linteam filtretur et lagenis vitreis mox bene obturandis immittatur.

Quod in fundo manicæ remanet deinde exemtum cum libris decem aquæ communis coquatur, et lixivium filtratum priori addatur. Liquores ita commixti, vitris bene obturatis immissi, quum heterogenea subsederint, limpide in catinam ferream bene politam decanthentur et bulliendo evaporentur, donec olei instar fluat massa, et gutta in laminam metallicam frigidam immissa perfecte rigescat. Tum in mortarium ferreum effundatur massa et pistillo contusa adhuc calida in vitris calefactis mox bene obturandis loco sicco servetur.

Sit album aut nonnihil cinereum, acido carbonico et salibus heteroge-

neis, quantum fieri potest, liberum. Duabus partibus spiritus vini rectificatissimi et dimidia aquæ destillatæ parte, relicta tantum exigua oxydi ferrici parte, solvatur. Acidum carbonicum dignoscitur, si aqua calcariæ affuso liquore kali caustici turbatur.

Kali chloricum.

(Kali muriaticum oxygenatum.)

Chlorsyret Kali.

Rc. Kali carbonici depurati Uncias quatuor,
Aquæ destillatæ Uncias duodecim.

In solutionem inde factam, filtratam atque lagenæ Woulfianæ immissam aër chlori ita, ut in aqua chlorata describenda memoratum est, evolutus inducatur, donec lixivium non amplius aërem absorbeat. Tubo rectangulo in fundum solutionis prope immergente retorta cum lagena Woulfiana ope luti farinacei conjungatur atque, ne chlorum lixivio haud absorptum molestum reddatur, altera lagena Woulfiana, aliquam solutionis kali partem continens, simul applicetur. Lagena deinde a retorta soluta, postquam lixivium, quod ea continetur, bene conquassatum est, per aliquot dies, leviter tecta, quamdiu bullæ acidi carbonici evolvantur, seponatur. Crystalli inde formatæ filtratione a liquore separentur et pondere aquæ coquentis duplo solvantur, solutio fervida filtretur et ad crystallisandum seponatur. Crystalli bene siccatæ in vitro bene clauso, charta nigra velato, caute serventur.

Sint crystalli lamellares, albæ, nitentes, temperatura 15° C. in aquæ partibus sedecim solubiles, aëri expositæ constantes. Kali muriatico sint liberæ, quare solutio affuso nitrate argentico soluto aut non aut saltem vix turbetur.

□ Kali hydrojodicum.

(*Kalium jodatum.*)

Jod-Kalium.

Rc. **Liquoris Kali caustici recens parati atque ab acido carbonico omnino liberi,**

Aquæ destillatæ,

singulorum Partes æquales.

Quibus in vase porcellaneo commixtis et calefactis

Jodum contritum

sensim et inter perpetuam agitationem addatur, donec color liquoris rubescat, neque jodum amplius solvatur, neque liquor reactionem alcalinam præbeat. Quo facto, solutio ad siccitatem evaporetur. Sal siccus deinde cucurbitæ vitreæ, reti metallico circumdatæ, immittatur, cucurbita igni aperto oblique exposita per quadrantem horæ ad levem rubescentiam igniatur, ita tamen, ut ignis initio sit remissior. Tum massa salina ignita aquæ destillatæ parte sufficiente solvatur, atque liquor filtratus lege artis in crystallos redigatur, quæ vitro bene clauso serventur.

Sint crystalli parvæ, albæ, cubicæ, saporis primum salsi, deinde austeri; pars una tribus quadrantibus aquæ destillatæ, et sex spiritus vini rectificatissimi partibus solvatur, unde adulteratio kali muriatico, carbonico, natro muriatico facta detegitur.

□ Kali nitricum depuratum.

(*Nitrum depuratum.*)

Renset Salpeter.

Kali nitricum crudum aquæ destillatæ fervidæ æquo pondere solvatur. Solutio fervida filtrata vasi porcellaneo immissa et loco frigido seposita continuo agitetur, donec refrigerata in

massam salinam granulosam conversa sit. Tum lixivium innatans decanthetur, massa salina linteo expanso, humectato imponatur, ut lixivium adhærens destillet. Tandem pulvis crystallinus remanens, parva aquæ destillatæ frigidæ copia aliquoties ablutus, inter chartam bibulam expressus, calore modico siccetur. Lixivium cum aqua ad abluendum adhibita evaporatum ut kali nitricum crudum servari potest.

Sit pulverulento-crystallinum, siccum, aquæ frigidæ septem partibus, aquæ bullientis minori quam pari quantitate solubile. Solutio aqua destillata parata liquore argenti nitrici vix tantum opalescat, neque liquore barytæ nitricæ acidum sulphuricum, liquore kali carbonici terras, liquore ammonii hydrosulphurati metalla prodat.

□ Kali sulphuratum.

(Kalium sulphuratum, Hepar Sulphuris.)

Svovellever.

Rc. **Kali carbonici depurati Partes septem,**
Sulphuris depurati Partes quatuor.

Mixta et crucibulo aut alii vasi ferreo bene mundato, tecto immissa leni igne fundantur, dum spathula ferrea interdum bene agitentur atque extra agitandum tigillum occludatur, donec neque aër acidi carbonici amplius effervescat neque partes grumosæ observentur, quæ in massam homogeneam quiete fluentem conversæ sint. Tum massa in laminam ferream aut mortarium ferreum, oleo illitum, effundatur atque celeriter contusa vasis bene obturandis statim ingeratur.

Sit coloris fusco-viridis, partibus duabus aquæ destillatæ solubile, acido muriatico addito aërem hydrogenii sulphurati copiose, minime autem aërem sulphurosum emittat.

□ Kali sulphuricum depuratum.

(*Tartarus vitriolatus, Arcanum duplicatum.*)

Renset svovelsyret Kali.

Massa salina post destillationem acidi nitrici remanens aquæ fervidæ copia sufficiente solvatur, cui solutioni solutio kali carbonici addatur, donec acidum, si abundet, saturatum sit, aut partes terrestres et metallicæ, si insint, præcipitatæ. Tum liquor calidus filtretur, atque deinde evaporatus, ut crystalli concrescant, seponetur. Crystalli inde formatæ lege artis siccentur et serventur.

Sit omnino neutrum, album, aqua solutum argento sulphurico, hydrogenio sulphurato, kali borussico neque coloretur, neque turbetur, neque præcipitetur.

□ Kali tartaricum.

(*Tartarus tartarisatus.*)

Viinsteensyret Kali.

Rc. **Kali carbonici depurati quantum vis,**
Aquæ communis fervidæ Octuplum.

Quibus solutis

Tartarus depuratus pulveratus

sensim inter bulliendum addatur, donec non amplius effervescat solutio et perfecte saturata sit. Tum liquor neuter in lebete stanneo leni igne ad siccitatem evaporetur, quæ massa siccata

Aquæ destillatæ Partibus decem

denuo soluta per horas triginta sex seponatur et deinde filtretur. Liquor ita filtratus leni igne ad siccitatem evaporetur et vasis bene obturatis servetur.

Sit pulvis albissimus, omnino neuter, saporis salsi, nonnihil amari, partibus heterogeneis salinis et metallicis, quantum fieri potest, liber.

□ Linctus ad aphthas.

Tröske-Saft.

Rc. Boracis pulverati Unciam,
bene teratur cum
Mellis rosati Unciis octo.
Vitro clauso servetur.

□ Linctus pectoralis.

Bryst-Saft.

Rc. Oxymellis scillitici,
Syrupi Altheæ,
Mucilaginis Gummi arabici,
singulorum Partes æquales.
Misceantur.

Linimentum ad ambustiones.

Liniment mod brændt Skade.

Rc. Olei Lini recentis,
Aquæ Calcariæ,
singulorum Partes æquales.
Bene invicem conquassando misceantur.
Paretur ex tempore.

□ Linimentum ammoniatum.

(*Linimentum volatile.*)

Flygtig Liniment.

Rc. Olei Olivarum optimi Uncias quatuor,

Liquoris Ammonii caustici Unciam.

In vitro bene conquassentur, donec perfecte sese conjunxerint.

□ Linimentum ammoniatum camphoratum.

(*Linimentum volatile camphoratum.*)

Tyk Kamfer-Olie.

Paratur, si quavis uncia olei olivarum drachma dimidia camphoræ raffinatæ ante solvatur, quam liquor ammonii caustici addatur.

Linimentum resolvens.

Fordelende Liniment.

Rc. **Ungventi Hydrargyri cinerei,**
Linimenti volatilis camphorati,
singulorum Partes æquales.

Bene misceantur.

Paretur ex tempore.

□ Liquor Ammonii acetici.

(*Spiritus s. Liquor Mindereri.*)

Minders Spiritus.

Rc. **Ammonii carbonici depurati Uncias tres,**
Aceti concentrati quantum requiritur,

ut perfecte saturentur. Tum liquor tanta aquæ destillatæ parte diluatur, ut pondus totius uncias viginti quatuor efficiat. Vitro bene clauso servetur.

Sit coloris expers, odoris proprii, saporis pungentis, igni expositus omnino avolet; quantum fieri potest, ita neuter, ut acidis non effervescat et chartam exploratoriam coeruleam vix permutet, pondere specifico 1,03—

1,04. Aqua hydrothionica liquor non coloretur, neque acetate argentico neque acetate barytico soluto turbetur.

□ Liquor Ammonii anisatus.

(*Spiritus Salis ammoniaci anisatus.*)

Anisholdig Ammoniak-Draaber.

Rc. **Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duodecim,**
Olei Anisi ætherei Unciam dimidiam.

Quibus invicem solutis addantur

Liquoris Ammonii caustici Unciæ tres.

Liquor in vitro bene clauso servetur.

Sit limpidus, flavescens, odore ammonii et olei anisi insignis, omnino volatilis, pondere specifico 0,875—0,885.

Liquor Ammonii carbonici.

(*Spiritus Salis ammoniaci aquosus.*)

Kulsyret Ammoniak-Draaber.

Rc. **Ammonii carbonici depurati Partem unam,**
Aquæ destillatæ Partes quinque.

Soluta filtrentur.

Paretur ex tempore.

□ Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.

(*Liquor Cornu Cervi.*)

Hjortetak-Draaber.

Liquor ammoniacalis, qui destillatione cornu cervi aliorumve ossium remanet, ammonio carbonico et oleo empyreumatico separatis, retortæ vitreæ immissus destilletur, donec dimidia pars remaneat.

Sit limpidus, flavescens, calore omnino avolet, ponderis specifici 1,05—1,06.

□ Liquor Ammonii caustici.

(*Spiritus Salis ammoniaci caustici.*)

Salmiak-Spiritus.

Rc. **Calcariæ ustæ Libram,**

quæ

Aquæ fontanæ calidæ quantitate sufficiente

conspergatur, ut in pulverem fatiscat, cui in cucurbitam balneo arenæ impositam immisso addatur

Ammonii muriatici crudi triti Libra,

Aquæ fontanæ Libris quatuor

soluta. Cucurbitæ alembico instructæ adaptetur excipulum amplum libram et dimidiam aquæ destillatæ continens. Ut aër atmosphæricus calore expansus abeat, necesse est, aut excipulum sit tubulatum aut inter juncturam rostri alembici et colli excipuli adaptetur tubulus tenuis, non ante claudendus, quam odor ammonii inde evolvatur. Tum, juncturis luti ope bene clausis, leni igne fiat destillatio, dum excipulum optime refrigeretur, donec libras tres liquoris ammonii capiat. In vasis epistomiis vitreis bene clausis loco frigido seponendis servetur liquor.

Sit limpidus, coloris expers, odoris penetrantis, non autem empyreumatici, ponderis specifici 0,96, calore omnino avolet. Neque aqua calcariæ turbetur, neque, acido nitrico puro saturatus solutione nitratis argentici, acidi oxalici, nitratis barytici, aqua sulphurata turbetur aut præcipitetur.

Liquor Ammonii caustici spirituosus.

Viinaandholdig Salmiak-Spiritus.

Rc. **Calcariæ bene exustæ et pulveratæ Libras duas et dimidiam,**

Ammonii muriatici pulverati Libram,

quæ quam citissime commixta in cucurbitam ferream aut aliud vas ferreum aptum immittantur, dum superficies miscelæ strato

calcis exustæ obtegatur. Tum, apparatu cum vitris duobus Woulfianis apte conjuncto, quorum prius ad aërem eluendum aquæ sufficientem partem, posterius autem satis amplum spiritus vini rectificatissimi libras duas contineat, fiat destillatio igne sensim tam aucto, ut cucurbita ferrea tandem rubescat, quæ vis ignis continuetur, donec aër non amplius evolvatur. Dum instituitur operatio, optime refrigeretur excipulum, ejusque apertura, per quam inducatur tubus ad aërem inducendum, vesica humida bene claudatur. Liquor ita paratus in vitris optime clausis loco frigido servetur.

Sit odoris multo magis penetrantis quam liquor ammonii caustici, in manum inspersus summum frigoris sensum efficiat, sit ponderis specifici 0,81. Cæterum pari modo, quo liquor ammonii caustici sese habeat.

□ Liquor Ammonii hydrosulphurati.

Svovelbrintet Svovel-Ammonium-Vædske.

Aër hydrogenii sulphurati, ut in aqua hydrothionica paranda descriptum est, elicitus, ope tubi recurvati in liquorem ammonii caustici, qui in vitro cylindrico, subere perforato clauso et aquæ frigidæ imposito, continetur, inducatur, donec liquor aërem non amplius absorbeat. Vitris epistomiis vitreis et cera munitis loco umbroso, frigido servetur.

Sit recens paratus limpidus, coloris prope expers aut vix flavescentis, addito acido aër hydrogenii sulphurati sub effervescentia evolvatur, dum vix lactescat liquor, neque sulphur præcipitetur. Rejiciatur liquor, si sedimentum sulphuris in fundo vitri observatur.

□ Liquor Ammonii succinici.

(*Liquor Cornu Cervi succinatus.*)

Ravsyret Ammoniak-Draaber.

Rc. **Acidi succinici depurati Unciam,**
Aquæ destillatæ Uncias octo.

Quibus solutis addatur

Ammonii carbonici pyro-oleosi quantum requiritur, ut saturetur solutio.

Liquor filtratus in vitro bene clauso servetur.

Sit limpidus, recens paratus flavescens, neuter, ponderis specifici 1,05. Si sal ferricus solutus liquori additus sedimentum rubro-fuscum et solutio acetatis plumbici præcipitatum album, aceto concentrato penitus solubile, efficit, pro genuino haberi potest. Igni expositus omnino avolet.

Liquor Ammonii vinosus.

(*Spiritus Salis ammoniaci vinosus.*)

Viinaandholdige Ammoniak-Draaber.

Rc. **Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas, Liquoris Ammonii caustici Partem unam.**

Misceantur et vitro bene clauso serventur.

Sit limpidus, colori expers, partibus heterogeneis liber, cæterum ut liquor ammonii caustici sese habeat. Ponderis specifici 0,9—0,91 sit.

□ Liquor arsenicalis.

(*Solutio arsenicalis Fowleri.*)

Fowlers Arsenik-Draaber.

Rc. **Arsenici albi,**
Kali carbonici depurati,
singulorum Drachmam cum granis quatuor,
Aquæ destillatæ Uncias sex.

Vase vitreo aut porcellaneo ad perfectam arsenici solutionem coquantur. Solutioni filtratæ et refrigeratæ addantur

Spiritus Lavendularum simplicis Uncia dimidia,
Aquæ destillatæ quantum requiritur, ut liquor efficiat Uncias sedecim.

Diligentissime secundum leges de veneno constitutas servetur hic liquor.

□ Liquor Ferri muriatici.

(Oleum Martis, Liquor stypticus Loffii.)

Loffs Jerndraaber.

Rc. **Ferri sulphurici crystallisati Partes duodecim,**
Kali nitrici depurati Partem.

Quæ in crucibulum immissa igne primum leniori, deinde fortiori urantur, donec vapores non amplius adscendant, sed massa colorem rubrum acceperit, quæ deinde, ut a partibus salinis liberetur, aqua excoquatur et toties abluatur, donec pulvis insipidus remaneat, qui bene siccatus et cucurbitæ vitreæ immissus cum

Acidi muriatici Partibus quatuor

coquatur, ut solutio inde efficiatur, quæ filtrata balneo vaporis evaporetur, donec pondus specificum 1,495—1,505 obtinuerit. Vitro bene clauso servetur.

□ Liquor Hydrargyri oxydulati nitrici.

(Liquor Bellosti.)

Bellosts Draaber.

Rc. **Hydrargyri depurati Uncias quatuor.**

Quibus vasi idoneo immissis

Acidi nitrici depurati Unciæ duæ,
Aquæ destillatæ Drachmis tribus

antea dilutæ, addantur. Vas deinde in aliud aquam frigidam continens impositum loco frigido seponatur, quamdiu crystalli inde concrescant, quæ a liquore et hydrargyro remanente separatæ inter chartam bibulam premendo sine calore siccentur.

Quarum crystallorum Unciæ uni
Acidi nitrici Drachma

terendo addatur, cui deinde

Aquæ destillatæ Unciæ septem aut tantum

affundatur, ut liquor pondus specificum 1,1 obtineat, qui filtratus in vitro bene clauso, charta nigra velato, super hydrargyrum depuratum caute servetur.

Sit limpidus, solutione natri muriatici addita sedimentum largum album oriatur, liquor autem innatans, filtratus, si debita pars natri muriatici soluti addita est, neque liquore kali caustici neque liquore ammonii caustici turbetur. Etiam aqua hydrothionica in hunc liquorem innatantem filtratum nullam omnino vim exerceat.

Liquor Kali acetici.

(*Liquor Terræ foliatæ Tartari.*)

Eddikesyret Kali-Oplösning.

Rc. **Kali acetici Partem unam,**
Aquæ destillatæ Partes duas.

Solutio inde facta, filtrata servetur.

Eodem modo paretur

☐ **Liquor Kali carbonici,** *kulsyret Kali-Oplösning.*
— — **caustici,** *Æts-Kali-Lud.*
☐ — — **tartarici,** *viinsteensyret Kali-Oplösning.*

Liquor Myrrhæ.

(*Liquamen Myrrhæ.*)

Myrrha-Honning.

Rc. **Myrrhæ minutim contusæ Uncias quatuor,**
Hydromellis spirituosi Uncias sedecim.

Per tres dies digesta exprimendo colentur.

□ Liquor Stibii muriatici.

(Butyrum Antimonii.)

Spydglands-Smör.

Rc. **Stibii sulphurati nigri lævigati Partem.**

Cucurbitæ vitreæ amplæ immittatur, deinde affundantur

Acidi muriatici concentrati Partes tres.

Miscela per aliquot horas digesta deinde coquatur, donec quarta circiter pars liquoris evaporata sit. Aër hydrogenii sulphurati inde evolutus per tubum recurvatum in aquam inducatur, ne foetor molestet. Tum liquor innatans a parte haud soluta decanthetur et secundum leges de acidis fortioribus filtrandis constitutas filtretur. Vitro epistomio vitreo munito, quod cera simul obductum sit, servetur.

Sit limpidus, vix flavescens, pondere specifico 1,44—1,45, aëri expositus vapores albos edat, aquæ sextuplo commixtus tantam sedimenti partem, ut pultis consistentiam prope accipiat, demittat.

□ Magnesia carbonica.

(Magnesia alba.)

Kulsyret Magnesia, hvid Magnesia.

Rc. **Magnesiæ sulphuricæ Libras sex,**

Aquæ communis calidæ Libras quadraginta octo.

Quibus solutis et filtratis addatur solutio

Kali carbonici puri Libris sex

et

Aquæ communis Libris triginta sex

facta. Solutiones commixtæ per horam dimidiam inter continuam agitationem ope spathulæ ligneæ in lebete coquantur et duplo circiter aquæ fervidæ diluantur. Tum per linteum

coletur mixtio calida, magnesia autem, quæ in illo remanet, bene et diligenter edulcoretur et leni colore siccetur.

Sit massa nivea, voluminosa, acido sulphurico diluto prorsus solubilis, quæ solutio neque kali carbonico neque acido oxalico turbetur.

□ Magnesia sulphurica depurata.

Renset svovelsyret Magnesia.

Magnesia sulphurica cruda pari pondere aquæ communis fervidæ solvatur, quæ solutio filtrata lege artis in crystallos redigatur, quæ siccatæ serventur.

□ Magnesia usta.

(Magnesia calcinata.)

Brændt Magnesia.

Magnesia carbonica crucibulo tecto immissa et compressa uratur, donec pars exemta acido quodam diluto non amplius effervescat. Tum, igne sponte exstincto et crucibulo refrigerato, magnesia usta in vitrum bene obturandum mox ingeratur.

Sit albissima, magnesia carbonica levior, acido sulphurico diluto omnino solubilis, quæ solutio neutra kali oxalico soluto addito minime turbetur.

□ Massa Pilularum de Cynoglosso.

Cynoglos-Piller.

Rc. Pulveris Opii puri,
— Radicis Cynoglossi,
— Seminis Hyoscyami,
singulorum Unciam dimidiam,
— Myrrhæ Drachmas sex,

Pulveris Olibani Drachmas quinque,
— Caryophyllorum,
— Cassiæ cinnamomeæ,
— Storacis calamitæ,
singulorum Drachmas duas.

Optime commisceantur. Ope mucilaginis gummi arabici fieri potest massa pilularis, ex qua formentur pilulæ pondere granorum duorum.

□ Mel despumatum.

Afskummet Honning.

Rc. Mellis albi Libras sedecim,
Aquæ communis Libras octo.

Lebeti stanneo immissa mixtio coquatur, dum spuma in superficie orta ope cochlearis foraminulis pertusi auferatur, donec consistentiam syrupi acceperit. Tum per pannum colatum loco frigido servetur.

□ Mel rosatum.

Rosen-Honning.

Rc. Petalorum Rosarum incarnatarum Uncias octo,
Aquæ communis fervidæ Libras quatuor.

Per noctem digesta fortiter exprimantur. Liquori colato
Mellis despumati Libræ octo
admisceantur, quæ mixtio deinde ad consistentiam syrupi evaporetur. Loco frigido servetur.

Mixtura acida mineralis.

Almindelig suur Mixtur.

Rc. Acidi sulphurici diluti Drachmam,
Aquæ destillatæ Uncias sex,
Syrupi Rubi idæi Unciam.
Misceantur et filtrentur.

Mixtura acida vegetabilis.

Viinsteensuur Mixtur.

Rc. Acidi tartarici Drachmam,
Aquæ destillatæ Uncias septem.
Solutioni inde factæ addatur
Syrupi Rubi idæi Uncia.
Mixta filtrentur.

Mixtura camphorata.

Kamfer-Mixtur.

Rc. Camphoræ raffinatæ Drachmam dimidiam.
Cui aliquot spiritus vini guttis in mortario vitreo aut lapideo contritæ addantur
Mucilaginis Gummi arabici Drachmæ duæ.
Quibus invicem bene contritis primum
Syrupi Papaveris Rhoeados Uncia
triturando misceatur, et tum
Aquæ Sambuci Unciæ septem
sensim affundantur.
Paretur ex tempore.

Mixtura camphorata acida.

Suur Kamfer-Mixtur.

Rc. Mixturæ camphoratæ Uncias octo,
cui
Aceti Vini optimi Uncia dimidia
addatur.

Mixtura camphorata nitrosa.

Salpeterholdig Kamfer-Mixtur.

Rc. Mixturæ camphoratæ Uncias octo,
Pulveris Kali nitrici depurati Drachmas duas.
Miscendo solvantur.
Paretur ex tempore.

Mixtura camphorata stibiata.

Qvalmende Kamfer-Mixtur.

Rc. Mixturæ camphoratæ Uncias octo,
Tartari stibiati Grana duo.
Miscendo solvantur.
Paretur ex tempore.

Mixtura diapnoica.

Sveddrivende Mixtur.

Rc. Liquoris Ammonii acetici Unciam,
Aquæ Sambuci Uncias quatuor,
Syrupi Sambuci Unciam.
Misceantur.
Paretur ex tempore.

Mixtura Ferri composita.

(Mixtura Griffithiana.)

Griffiths Mixtur.

Rc. Myrrhæ pulveratæ Drachmam,
Kali carbonici puri Drachmam dimidiam,
Ferri sulphurici crystallisati pulverati Grana viginti quinque.

Terantur bene cum

Aquæ Rosarum Unciis octo,
Syrupi Sacchari Uncia dimidia.

Misceantur.

Morphium.

Morphin.

Rc. Opii minutim concisi Partem,
Spiritus Vini rectificati Pondere spec. 0,75 Partes quatuor.

Per nycthemeron macerata filtrentur; quæ autem remanet opii pars expressa cum

Spiritus Vini rectificati æquali ejus ponderis parte

denuo maceretur et simili modo tractetur. Tincturis ita paratis commixtis et filtratis

Liquoris Ammonii caustici tanta pars

addatur, ut ammonium aliquantulum prævaleat, quo efficiatur, ut morphium jam post aliquot horas, majori tamen copia post aliquot dies præcipitetur. Quo facto, morphium præcipitatum a liquore fusco innatante separetur et primum spiritu magis diluto, deinde autem aqua bene edulcoretur. Tum morphium spiritu alcoholisato 0,82 coquente solvatur, dum simul cum aliqua carbonis animalis depurati parte coquatur; solutio autem fervida filtrata, ut crystalli concrescant, seponatur. Liquor

crystallis innatans aliquam quidem morphii partem continet, quæ e liquore evaporando excerni potest, sicuti etiam carbones in filtro remanentes aliqua spiritus parte edulcorari debent. Tum crystalli morphii aqua bene ablutæ cum

Ætheris sulphurici Octuplo

bene conquassentur, quo efficiatur, ut narcotinum solvatur, morphium autem haud solutum remaneat. Crystalli morphii inter chartam bibulam bene siccatæ in vitro bene obturato caute serventur.

Sint crystalli parvæ, aciculares, albæ, inodoræ, saporis amari, aqua et æthere prope insolubiles, viginti quatuor partibus spiritus vini rectificati coquentis solubiles, igni expositæ inflammentur et fumum resinam redolentem edant. Tinctura gallarum in solutione, acidi muriatici ope facta, sedimentum non efficiat.

Morphium aceticum.

Eddikesyret Morphin.

Rc. **Morphii quantum vis,**
Aceti concentrati Aquæ destillatæ æquo Pondere diluti quantitatem sufficientem,

ut solvatur et perfecte neutrum reddatur. Liquor filtratus leni calore ad siccitatem evaporetur, qui sal in pulverem redactus caute servetur.

Sit pulvis albidus, saporis peramari, aqua facile solubilis, nisi evaporatione aliqua acidi acetici pars avolaverit, quæ evaporata pars nova addenda parte restitui potest. Quantum fieri potest, a narcotino sit liber, quod, ut in morphio dictum est, explorari potest.

Morsuli contra Vermes.

Orme-Morseller.

Rc. **Pulveris Seminis Cynæ Unciam,**
— Radicis Jalapæ,

Æthiopis mineralis,
singulorum Drachmas tres,
Pulveris Corticis Cinnamomi Drachmas duas.

Quibus bene commixtis

Sacchari albi in Aqua Rosarum soluti et ad consistentiam tabulandi cocti Unciæ septem

addantur, unde lege artis morsuli formentur.

□ Morsuli Rosarum purgantes.

Rosensukker.

Rc. Sacchari albi Uncias tredecim,
Aquæ Rosarum tantum,

ut saccharum consistentiam tabulandi coquendo accipiat; deinde immisceantur

Pulveris Radicis Jalapæ Unciæ duæ,
— Ligni Santali rubri Uncia dimidia,
— Scammonii Drachmæ duæ.

Qua e massa bene commixta lege artis morsuli pondere drachmæ unius formentur.

□ Mucilago Gummi arabici.

Arabisk Gummi-Sliim.

Rc. Gummi arabici Uncias quatuor,
Aquæ communis Uncias duodecim.

Sæpius agitando solvantur et deinde per pannum colentur.

Mucilago Seminum Cydoniorum.

Qvæde-Sliim.

Rc. Seminum Cydoniorum integrorum Drachmam,
Aquæ Rosarum Uncias octo.

Vitro immissa sæpius conquassentur et deinde colentur.

Natrum aceticum.

(*Terra foliata Tartari crystallisabilis.*)

Eddikesyret Natron.

Rc. Natri carbonici depurati Partem unam,
Aquæ destillatæ fervidæ Partes duas.

Vasi porcellaneo immittantur, et solutioni inde factæ

Acetum concentratum

addatur, donec liquor non amplius effervescat et plane neuter sit. Liquor deinde filtretur et vasi porcellaneo immissus leni igne evaporetur, donec gutta in laminam marmoream frigidam inspersa crystallos deponat. Tum per chartam bibulam filtretur solutio salina et vasi porcellaneo immissa loco frigido ad crystallisandum seponatur; e lixivio innatante autem nova crystallorum pars evaporatione repetita colligi potest. Crystalli inter chartam bibulam siccatæ in vase vitreo obturato serventur.

Sint crystalli prismaticæ, saporis haud ingrati, salsi, aëri sicco expositæ lente fatiscentes, tribus partibus aquæ, viginti quatuor spiritus vini rectificatissimi partibus solubiles. Cæterum, uti in kali acetico descriptum est, explorari potest, num metallis et salibus heterogeneis liberæ sint.

Natrum carbonicum acidulum.

(*Natrum bicarbonicum.*)

Tvekulsyret Natron.

Rc. Natri carbonici depurati siccati Partes tres,
— — — crystallisati Partem.

Triturando bene commixta vasi cylindrico immittantur, cujus

prope fundum situs est orbis foraminibus parvis instructus et linteo tenui obtectus, ut ei imponi possit natrum. Apertura vitri occludatur subere foraminibus duobus instructo, quorum per alterum, angustius, inducatur tubus rectangulus, qui etiam per orbem perforatum in fundum inferatur; per alterum, amplius, tubus brevis ita inducatur, ut natrum carbonicum haud attingat; cujus tubi superficies superior simul vesica humida obtegatur. Tubus rectangulus deinde cum apparatu conjungatur, in quo aër acidi carbonici e creta, mediante acido sulphurico diluto, lege artis evolvatur. Subere luti farinacei ope bene occluso, inducatur aër acidi carbonici, quamdiu ille absorbeatur, quod eo cognoscitur, ut vesica, quæ inter aërem inducendum quidem expanditur mox autem collabitur, jam expansa persistat. Quo facto, natrum carbonicum acidulum æquo pondere aquæ destillatæ commixtum per duodecim horas seponatur, ut salia aliena et natrum haud satis saturatum solvi possint; natrum carbonicum acidulum autem a liquore innatante separatum chartæ bibulæ immissum siccetur atque in vitro bene obturato servetur.

Sit pulvis albus, vix crystallinus, aëri expositus neque delabens neque deliquescens. Partibus tredecim aquæ solvatur; sin autem minor pars sufficit, natrum subcarbonicum continet. In chartam curcuma tinctam reactionem alcalinam non exerceat. E centum granis hujus salis ope caloris grana circiter viginti sex acidi carbonici et grana circiter undecim aquæ extricentur, aut remaneant grana circiter sexaginta tria natri subcarbonici.

□ Natrum carbonicum depuratum.

Renset kulsyret Natron.

Natrum carbonicum crudum æquo pondere aquæ destillatæ fervidæ solvatur. Solutio fervida filtrata loco frigido seponatur, ut crystalli inde concrescant, quæ collectæ et aqua destillata ablutæ bene siccentur et vitro obturato serventur.

Eodem modo paretur

□ **Natrum sulphuricum depuratum.**

Sit partibus metallicis et salibus alienis liberum, quod uti in kali carbonico describendo dictum est explorari potest.

Natrum carbonicum depuratum siccatum.

Törret renset kulsyret Natron.

Crystalli natri carbonici depurati tritæ in locum apricum seponentur aut modico hypocausti calori exponantur, donec in pulverem perfecte siccum fatiscant, qui in vitro bene obturato loco sicco servetur.

Eodem modo paretur et servetur

Natrum sulphuricum depuratum siccatum, *törret renset svovelsyret Natron.*

Natrum nitricum.

(Nitrum cubicum.)

Salpetersyret Natron.

Rc. **Natri carbonici depurati Unciam,**
Aquæ destillatæ Uncias quatuor.

Solutioni inde factæ

Acidum nitricum purum

addatur, donec liquor perfecte neuter sit, qui filtratus in crystallos lege artis evaporando redigatur.

Sint crystalli albæ, rhomboideæ, quæ ex aëre aquam attrahant.

Natrum phosphoricum.

Phosphorsyret Natron.

Rc. **Acidi phosphorici sicci quantum vis,**
Aquæ destillatæ Octuplum.

Quibus invicem solutis

Natri carbonici depurati tantum

addatur, ut natrum aliquantulum prævaleat. Tum liquor filtratus evaporetur, donec gutta laminæ lapideæ instillata crystallos edat, et deinde per viginti quatuor horas loco frigido ad crystallisandum seponetur. Crystalli formatæ colligantur, lixivium autem innatans iterum evaporetur, ut denuo crystalli inde obtineri possint. Tandem omnes crystalli inter chartam bibulam siccatæ in vitro bene obturando loco frigido serventur.

Sint crystalli albæ, recens paratæ pellucidæ, postea autem fatiscentes pulvere albo obtegantur, aquæ partibus quatuor solubiles, saporis mitis, salsi; æstui tubi ferruminatorii expositæ in globulum fundantur. Sedimentum, quod oritur, si solutioni natri phosphorici baryta nitrica soluta additur, acido nitrico postea affuso rursus solvatur.

□ Oleum Absynthii æthereum.

Flygtig Malurt-Olie.

Rc. **Summitatum Absynthii vulgaris cum Semine prope maturo modice siccatarum quantum vis,**
Aquæ fontanæ Octuplum.

Fiat destillatio e vesica, quacum conjuncta sit alembicus una cum apparatu refrigeratorio e stanno puro confecto. Inter destillandum aqua continuo ebulliat, sicuti etiam bene refrigeretur excipulum; atque pergat destillatio, quamdiu aqua oleo imprægnata appareat. Oleo aquæ innatante separato, aqua ita destillata cum sufficiente quantitate aquæ parti pari summitatum absynthii infundatur, et destillatio denuo instituatur; quæ operatio repetatur, donec olei desideratam copiam obtinueris.

Eodem modo parentur

□ **Oleum Anisi,** *Anis-Olie.*
□ — **Corticum Aurantiorum,** *Pomerants-Skal-Olie.*
— **Carvi,** *Kummen-Olie.*

□ Oleum Caryophyllorum, *Nellike-Olie.*
□ — Chamomillæ, *Chamille-Olie.*
□ — Cinnamomi, *Caneel-Olie.*
□ — Foeniculi, *Fennikel-Olie.*
□ — Juniperi e Baccis, *Enebær-Olie.*
□ — Majoranæ, *Merian-Olie.*
— Menthæ crispæ, *Krusemynte-Olie.*
□ — — piperitæ, *Pebermynte-Olie.*
— Sabinæ, *Sevenbom-Olie.*
— Salviæ, *Salvie-Olie.*
□ — Tanaceti, *Reinfand-Olie.*
— Thymi, *Timian-Olie.*
□ — Valerianæ, *Baldrian-Olie.*

Nota. Omnia olea ætherea vitris epistomiis vitreis bene munitis loco frigido, umbroso caute serventur. Odorem principium vegetabile, ex quo destillata sunt, referentem evolvant; gutta chartæ albæ inspersa ope caloris omnino avolet, nulla relicta macula oleosa. Si oleum æthereum æquali aquæ parte commiscetur, neque volumen olei, aqua separata, minuatur, neque lactescat aqua.

Destillatione olei caryophyllorum et cinnamomi notandum, separato oleo in fundo excipuli subsidente, aquam destillatam parti in apparatu destillatorio remanenti affundi eamque rationem agendi, quamdiu oleum obtineatur, repeti posse.

□ Oleum Absynthii coctum.

Kogt Malurt-Olie.

℞. Summitatum Absynthii recens siccatarum et concisarum Libram unam,

Olei Olivarum Libras tres.

Per aliquot horas macerata in lebete cupri, stanno bene obducto, leni igni exponantur, donec gutta olei, prunis inspersa,

mox inflammet. Tum prelo oleum exprimatur atque, quum subsederit, vitro murrhino servetur.

Eodem modo parentur

Oleum Chamomillæ coctum, *kogt Chamille-Olie.*
□ — **Hyperici** — — *Perikom-Olie.*
□ — **Hyoscyami** — — *Bulme-Urt-Olie.*

Notandum tamen est in oleo hyperici coquendo, versus finem coctionis aliquam radicis alcannæ partem addendam esse, ut ea coloretur oleum.

□ Oleum Amygdalarum.

Mandel-Olie.

Ex amygdalis dulcibus, recentibus, contusis, sacculo cannabino inclusis ope preli ferrei, laminis in aqua fervida calefactis, exprimatur oleum. Quum fæces bene subsederint, oleum decanthetur et filtratum vase bene clauso servetur.

□ Oleum animale æthereum.

(*Oleum animale Dippelii.*)

Dippels-Olie.

***Rc.* Olei animalis foetidi quantum placet.**

Ope infundibuli infundatur cucurbitæ vitreæ, ne latera cucurbitæ inquinentur. Tum, alembico et vase recipiente applicatis ac luto farinaceo et vesica bene clausis, fiat destillatio lenissimo igne, quamdiu oleum tenue elicitur. Oleum, quod ita obtinetur, eadem cautione una cum aquæ partibus quatuor cucurbitæ alii infundatur et, applicatis alembico et vase recipiente, blando calore denuo destilletur, quamdiu limpidissimum aquæ adinstar apparet. Immittatur illico lagenulis vitreis, exacte epistomiis vitreis obturandis, sub aqua inverse immergendis et loco umbroso servandis.

Oleum Anisi sulphuratum.

(*Balsamum Sulphuris anisatum.*)

Anisholdig Svovel-Balsam.

Rc. Olei Lini sulphurati Partem,
— Anisi ætherei Partes quinque.

Misceantur.

□ Oleum Asphalti.

Asphalt-Olie.

Rc. Asphalti minutim contusi,
Arenæ bene elotæ et siccatæ,
singulorum Libram dimidiam.

Retortæ vitreæ balneo arenæ impositæ immittantur. Fiat destillatio igne gradatim aucto, quamdiu partes volatiles transeunt. Tum oleum elicitum et separatum cum aquæ communis quantitate sufficiente e retorta rectificetur.

Sit oleum limpidum, coloris prope expers, odoris penetrantis ingrati, saporis ingrati, acris, empyreumatici.

Oleum Ceræ.

Vox-Olie.

Rc. Ceræ flavæ rasæ,
Calcariæ exustæ pulveratæ,
singulorum Libram.

Retortæ vitreæ, balneo arenæ impositæ, immittantur. Fiat destillatio igne gradatim aucto, quamdiu partes volatiles transeunt. Oleum butyraceum ita paratum supra

Calcariæ ustæ Libram dimidiam

denuo e retorta vitrea rectificetur.

Oleum recens paratum sit limpidum, coloris prope expers, odoris et saporis ingrati, empyreumatici.

Oleum Cacao.

(Butyrum Cacao.)

Cacao-Olie, Cacao-Smör.

Semina Cacao leniter tosta, a cortice liberata, contusa in vase ferreo, quod ad pastam cacao conficiendam adhibetur, subtilissime terantur. Quævis libra hujus massæ pultiformis cum unciis duabus aquæ frigidæ commisceatur, quæ mixtio sacco e linteo cannabino densioris texturæ parato inclusa ope preli, cujus laminæ calefactæ sunt, exprimatur. Tum oleum butyraceum eo modo filtretur, ut modico calore liquatum in filtrum charta bibula confectum infundatur et loco calido seponatur, donec oleum liquatum per chartam destillaverit. Filtratum in capsulas ferreas stanno obductas effundatur atque siccatum in taleolas scissum in vase clauso loco frigido servetur.

□ Oleum camphoratum.

Kamfer-Olie.

Rc. **Camphoræ raffinatæ Partem,**
Olei Olivarum Partes octo.

Terendo fiat solutio, quæ filtretur.

Oleum Cantharidum infusum.

Spanskflue-Olie.

Rc. **Cantharidum tritarum Uncias quatuor,**
Olei Olivarum optimi Uncias sedecim.

Vasi vitreo immissa per sex horas balneo vaporis digeran-

tur, deinde exprimendo per linteum coletur oleum, quod tandem filtratum vitro bene clauso servetur.

Oleum carminativum.

Olie mod Kolik.

Rc. Olei cocti Chamomillæ Uncias quatuor,
— ætherei Menthæ Drachmas duas,
— — Carvi,
— — Cumini,
— — Foeniculi,
singulorum Drachmam dimidiam.

Bene commisceantur.

□ Oleum Lini sulphuratum.

(*Balsamum Sulphuris simplex.*)

Svovel-Balsam.

Rc. Olei Lini Libram.

Cui in vas figulinum vitreatum aut ferreum satis capax, altum, calefactum immisso sensim addantur

Sulphuris citrini pulverati Unciæ tres,

dum miscela inter continuam agitationem ope spathulæ coquatur, cavendo ne effervescat, donec massa spissa fiat, et refrigerata gelatinæ instar colore fusco-rubro appareat. In vase porcellaneo, charta cerata tecto servetur.

Oleo terebinthinæ plane solvatur.

Oleum Ovorum.

Æg-Olie.

Vitelli ex ovis gallinaceis in aqua coquendo indurati eximantur

et in sartagine ferrea leni calore ope pistilli lignei agitentur, donec rufescant et inter digitos pressi oleum emittere incipiant. Ex qua massa contrita, sacculo cannabino inclusa, laminis preli calefactis, oleum exprimatur.

Sit frigore spissum, opacum, coloris vitellini, calefactum consistentia olei spissioris, saporis mitis.

Oleum phosphoratum.

Phosphorholdig Olie.

Rc. **Phosphori bene siccati et concisi Grana duodecim.**

Vitro

Olei Amygdalarum recentis Unciam

continenti immittantur. Vitrum aquæ calidæ immergatur, donec phosphorus fusus sit, et deinde conquassetur, ut solvatur. Oleum refrigeratum a phosphoro fortasse excreto caute decanthando separetur.

Paretur ex tempore.

Ol. ricini e: ol. crotonis in capsulis

□ Oleum Succini rectificatum.

Rectificeret Rav-Olie.

Oleum succini crudum cum sextuplo aquæ communis commixtum e retorta vitrea destilletur, donec tertia pars olei adhibiti remaneat.

Eodem modo parentur

□ **Oleum Petræ rectificatum,** *Rectificeret Steenolie.*

□ — **Terebinthinæ** —, — *Terpentin-Olie.*

□ Oleum contra Tæniam.

(*Oleum Chaberti.*)

Chaberts Olie.

Rc. Olei Terebinthinæ Uncias duodecim,
— animalis foetidi Uncias quatuor.

E quibus ope infundibuli curvati retortæ vitreæ immissis, adjuncto excipulo, blanda destillatione eliciantur unciæ duodecim, statim vitris parvis bene obturandis immittendæ.

□ Oleum Terebinthinæ sulphuratum.

(*Balsamum Sulphuris terebinthinatum.*)

Harlemmer-Olie.

Rc. Olei Lini sulphurati Partem unam,
— Terebinthinæ rectificati Partes tres.

Digerendo solutum in vitro bene clauso servetur.

Oxymel Æruginis.

(*Ungventum ægyptiacum.*)

Ægyptisk Salve.

Rc. Æruginis pulveratæ Uncias quinque,
Aceti Vini Uncias decem,

coquantur vase figulino, donec ærugo soluta sit.

Cui liquori filtrato
Mellis albi Unciæ quindecim

addantur, quæ mixtio in consistentiam mellis evaporetur.

□ Oxymel scilliticum.

Strandlög-Honning.

Rc. Mellis despumati Uncias triginta,
Aceti scillitici Uncias duodecim.

Mixta in lebete stanneo ad spissitudinem syrupi tenuioris coquantur.

Oxymel simplex.

Eddike-Honning.

Paretur ut oxymel scilliticum, nisi pro aceto scillitico acetum vini addatur.

□ Passulæ laxativæ.

Laxeer-Corender.

Rc. Foliorum Sennæ concisorum Uncias quatuor,
Aquæ communis Uncias decem.

Bene ebulliant, ut liquor expressus uncias sex efficiat. Cui
Sacchari albi Unciæ duodecim
addantur et ebulliendo in syrupum redigantur. Quo cum syrupo
Passularum minorum bene elotarum Libra una,
Pulveris Corticis Cinnamomi Drachmæ tres
bene commisceantur. Vase porcellaneo tecto serventur.

Pasta Altheæ.

Althea-Kager.

Rc. Radicis Altheæ concisæ Uncias tres,
Aquæ fervidæ Libras octo.

Per noctem infundantur et deinde mane ebulliant. Tum sine expressione colentur, et in liquore

Sacchari albi,
Gummi arabici,
singulorum Libræ tres

solvantur. Rursus colata continuo agitando ope spathulæ ligneæ leni calore ad spissitudinem mellis evaporentur, et deinde admisceantur

Albumina Ovorum recentium quadraginta in spumam quassata,
Aquæ Florum Aurantiorum Unciæ sex.

Continuo agitando, lenissimo calore ad justam consistentiam inspissentur, quæ massa in capsulas papyraceas effundatur et loco calido penitus exsiccata atque in taleolas scissâ servetur.

Pasta Cacao cum Lichene islandico.

Chocolade med islandsk Mos.

Rc. **Seminum Cacao tostorum, bene decorticatorum, in mortario ferreo calido in massam subtilissimam redactorum,**
Sacchari albi pulverati,
singulorum Libram cum dimidia.

Quibus bene commixtis

Pulveris Lichenis islandici Unciæ tres,
— Radicis Saleb Drachmæ tres

addantur. Quæ omnia bene commixta et in capsulas ferreas stanno obductas immissa in taleolas quadrangulatas formentur.

Pasta Cacao cum Lichene Carragheno.

Chocolade med Carraghen-Mos.

Rc. Seminum Cacao modo nuper descripto in massam subtilissimam redactorum,
Sacchari albi pulverati,
singulorum Libras duas,
Lichenis Carragheni pulverati Uncias tres.

Quæ bene commixta solito modo in taleolas quadrangulatas formentur.

Pasta Glycyrrhizæ.

(*Gelatina Liquiritiæ.*)

Brystliim.

Rc. Radicis Glycyrrhizæ excorticatæ Uncias duas,
Aquæ communis Libras octo.

Per noctem macerata mane filtrentur. Liquore inde parato
Gummi arabici Libræ duæ et dimidia,
Sacchari albi Libra cum dimidia
solvantur. Solutio colata seponatur, ut bene subsidat, deinde limpide decanthata leni igne evaporetur, nulla agitatione adhibita atque cuticulis inter evaporandum ortis auferendis, cavendo, ne empyreuma efficiatur, donec gutta in laminam metallicam frigidam inspersa gelatinæ instar appareat. Tum, cuticula detracta atque quum bullæ in superficie gelatinæ disparuerint, in capsulas ferreas stanno obductas et oleo amygdalarum illitas effundatur gelatina, quæ calore modico exsiccetur et deinde in taleolas scissa loco calido servetur.

Pilulæ Aloës compositæ.

Sammensatte Aloe-Piller.

Rc. Pulveris Aloës succotrinæ Unciam,
Extracti Gentianæ Unciam dimidiam,
Olei Carvi destillati Guttas quadraginta.
Lege artis in massam pilularem commisceantur.

Pilulæ alterantes Plumeri.

Plumers Piller.

Rc. Pulveris alterantis Plumeri,
Resinæ Guajaci nativæ,
singulorum Unciam dimidiam,
Balsami Copaivæ quantum sufficit,
ut lege artis in massam pilularem convertantur.

Pilulæ antarthriticæ.

Piller mod Gigt.

Rc. Saponis antimonialis,
Resinæ Guajaci nativæ,
singulorum Drachmas duas,
Extracti Conii maculati,
— Aconiti,
singulorum Drachmam.
Fiat inde massa pilularis.

Pilulæ antihystericæ.

Piller mod Hysteri.

Rc. Massæ Pilularum aperientium cum Marte,
— — gummosarum,
singulorum Partes æquales.

E quibus bene commixtis formentur pilulæ.

Pilulæ aperientes cum Marte.

Drivende Piller med Jern.

Rc. Ferri subcarbonici Uncias duas,
Myrrhæ pulveratæ,
Ammoniaci —,
Galbani —,
Aloës lucidæ —,
singulorum Unciam,
Hydrargyri muriatici mitis,
Sulphuris aurati Antimonii,
singulorum Unciam dimidiam.

Fiat inde lege artis ope syrupi sacchari massa pilularis.

Pilulæ Beddoes.

Beddoes Piller.

Rc. Natri carbonici depurati,
Saponis hispanici albi,
singulorum Drachmas duas,
Pulveris Piperis hispanici Grana sex.

Fiat inde lege artis massa pilularis.

Pilulæ Conii maculati.

(Pilulæ Cicutæ.)

Skarntyde-Piller.

Rc. Extracti Conii maculati quantum vis,
Pulveris Herbæ Conii maculati quantum sufficit,
ad massam pilularem efficiendam.

Pilulæ cupreæ.

Kobber-Ammoniak-Piller.

Rc. Cupri sulphurici ammoniati Grana sedecim,
Micæ Panis albi Scrupulos quatuor,
Liquoris Ammonii caustici quantum sufficit,
ut fiat massa pilularis. Formentur inde pilulæ numero sexaginta quatuor.

Pilulæ foetidæ.

Dyvelsdræks-Piller.

Rc. Asæ foetidæ depuratæ quantum vis,
Olei animalis foetidi quantum sufficit,
ad massam pilularem efficiendam.

Pilulæ gummosæ.

Sammensatte Dyvelsdræks-Piller.

gri *Rc.* Asæ foetidæ depuratæ Unciam,
gri Galbani —,
gri Fuliginis splendentis,
singulorum Uncias duas,
Olei Succini Drachmam et dimidiam.
gtv. Fiat lege artis ope syrupi sacchari massa pilularis.

Pilulæ ad hydropicos.

Piller mod Vattersot.

Rc. Saponis hispanici Drachmas tres,
Olei Juniperi,
Pulveris Scillæ compositi,
singulorum Drachmam,
Mercurii dulcis,
Kermes mineralis,
singulorum Drachmam dimidiam.

Fiat lege artis massa pilularis.

Pilulæ narcoticæ.

Beroligende Piller.

Rc. Extracti Conii maculati Drachmas tres,
Pulveris Radicis Belladonnæ Grana sex.

Fiat lege artis massa pilularis.

Pilulæ pectorales.

Bryst-Piller.

Rc. Ammoniaci depurati,
Florum Sulphuris lotorum,
Extracti Conii maculati,
singulorum Partes æquales.

Misceantur lege artis in massam pilularem.

Pilulæ purgantes cum Hydrargyro.

(Pilulæ catarrhales purgantes.)

Purgerende Qviksölv-Piller.

Rc. Extracti Rhei compositi Unciam unam,
Hydrargyri muriatici mitis Unciam dimidiam,
Resinæ Jalapæ Drachmam unam,
Olei Corticum Aurantiorum Guttas triginta.

Fiat inde massa pilularis.

Pilulæ resolventes.

Oplösende Piller.

Rc. Ammoniaci depurati,
Saponis hispanici albi,
Extracti Conii maculati,
singulorum Partes æquales.

Misceantur, ut fiat massa pilularis.

Pilulæ resolventes cum Aloe.

Oplösende Piller med Aloe.

Rc. Massæ Pilularum resolventium Drachmas sex,
Extracti Aloës Drachmam.

Misceantur.

Pilulæ resolventes cum Rheo.

Oplösende Piller med Rhabarber.

Rc. Massæ Pilularum resolventium Drachmas sex,
Pulveris Radicis Rhei optimæ Drachmam.

Misceantur.

Pilulæ Rufi sive Aloes cum Myrrha.

Rufs Piller.

Rc. Aloës lucidæ Uncias duas,
Croci orientalis pulverati,
Myrrhæ pulveratæ,
singulorum Unciam dimidiam,
Syrupi Sacchari quantum satis,
ut fiat massa pilularis.

Pilulæ scilliticæ.

Strandlög-Piller.

Rc. Ammoniaci depurati Unciam dimidiam,
Saponis hispanici albi,
Pulveris Scillæ compositi,
singulorum Unciam,
Balsami Copaivæ Drachmam.
Misceantur in massam pilularem.

Pilulæ tonico-nervinæ.

Toniske Piller.

Rc. Asæ foetidæ pulveratæ,
Ferri sulphurici —
Extracti Chamomillæ,
singulorum Partes æquales.
Lege artis misceantur.

Pilulæ æthiopicæ.

Sorte Qviksölv-Piller.

Rc. **Hydrargyri depurati Drachmas sex,**
Sulphuris stibiati aurantiaci Unciam dimidiam.

Quibus in mortario vitreo ad perfectam globulorum exstinctionem tritis addantur et commisceantur

Saponis hispanici,
Resinæ Guajaci nativæ,
singulorum Uncia dimidia,
Syrupi Sacchari quantum sufficit,

ut fiat massa pilularis, ex qua formentur pilulæ.

□ Plumbum aceticum depuratum.

(*Saccharum Saturni depuratum.*)

Renset Blysukker.

Rc. **Plumbi acetici crudi Partes duodecim,**

solvantur

Aquæ destillatæ calidæ quantitate sufficiente,

admiscendo

Aceti diluti Partem unam.

Solutioni inde paratæ immittantur laminæ aliquot plumbeæ puræ. Tum per aliquot horas sepositus filtretur liquor et deinde in crystallos redigatur. Lixivium crystallis innatans, eadem copia aceti addita, denuo evaporetur, ut plures crystalli inde obtineri possint, quæ operatio repetatur, quamdiu crystalli coloris expertes concrescant. Vase bene obturato, loco umbroso servetur.

Solutio, aqua destillata facta, sedimentum non efficiat.

Pulpa Prunorum.

Blomme-Moos.

Fructus pruni domesticæ maturi, nucleis exemtis, cum aquæ communis quarta parte coquantur, donec caro quasi solutus sit. Tum per cribrum setaceum transmittatur massa atque in lebete stanneo ad consistentiam syrupi spissioris inter continuam agitationem lenissimo igne inspissetur. Singulæ pulpæ libræ addantur

Sacchari albi Unciæ quatuor.

Continuetur deinde evaporatio, donec requisitam spissitudinem obtinuerit pulpa. Vase tecto loco frigido et sicco servetur.

□ Pulpa Tamarindorum.

Tamarinde-Moos.

Eadem ratione paretur. Semina coctione sponte separentur.

Ferrum politum, solutioni harum pulparum immissum, cuprum non prodat.

Pulvis aëriphorus.

Brusepulver.

Rc. **Natri bicarbonici Drachmam dimidiam.**

Dispensetur in charta coerulea.

Acidi tartarici Scrupulum.

Dispensetur in charta alba.

Pulvis alterans Plumeri.

Plumers Pulver.

Rc. **Hydrargyri muriatici mitis,**
Sulphuris stibiati aurantiaci,
singulorum Partes æquales.

Optime triturando misceantur.

Paretur ex tempore.

Pulvis ammoniato-camphoratus.

(*Pulvis volatilis camphoratus.*)

Flygtigt Kamfer-Pulver.

Rc. Pulveris Ammonii carbonici Drachmas duas,
— Camphoræ raffinatæ Drachmam,
— Sacchari albi Unciam.

Diligenter misceantur.

Paretur ex tempore.

Pulvis antichloroticus.

Pulver mod Blegsot.

Rc. Ferri subcarbonici saccharati Drachmas sex,
Pulveris Herbæ Absinthii,
— Corticis Cinnamomi,
singulorum Drachmam.

Commisceantur.

Pulvis anticolicus.

Sammensat Sennespulver.

Rc. Pulveris Foliorum Sennæ,
— Nitri depurati,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

Pulvis antimonialis compositus.

(*James Powder.*)

James Pulver.

Rc. Antimonii sulphurati nigri lævigati Partem,
Rasuræ Cornu Cervi Partes duas.

Mixta in crucibulum jam candens immittantur, dum assidue agitetur mixtio, donec vapor non amplius adscendat. Massa remanens in pulverem contrita crucibulo iterum immittatur, quod igni ad candescentiam usque per duas horas exponatur. Quod tandem in crucibulo restat in pulverem subtilissimum teratur.

Pulvis aromaticus. = Pulv. aromat. Ph. Bonn.

Aromatisk Pulver.

Rc. Pulveris Corticis Cinnamomi Uncias duas,
— Cardamomi minoris excorticati Unciam,
— Radicis Zingiberis,
— Piperis albi,
singulorum Unciam dimidiam.

Pulvis commixtus in vitro bene obturato servetur.

Pulvis cosmicus.

Ætsende Pulver.

Rc. Cinnaberis præparatæ Drachmas duas,
Sanguinis Draconis pulverati Grana duodecim,
Cinerum Soleæ calcei Grana octo,
Arsenici albi pulverati Scrupulos duos.

Bene commixta secundum leges de venenis constitutas serventur.

Pulvis dentifricius niger.

Sort Tandpulver.

Rc. Pulveris Carbonis Tiliæ,
— Corticis Chinæ regiæ,
singulorum Unciam dimidiam,

Pulveris Cineris Fagi,
— Myrrhæ,
singulorum Drachmas duas,
Olei Bergamottæ,
— Caryophyllorum,
singulorum Guttas quindecim.

Optime commisceantur.

Pulvis dentifricius ruber.

Rödt Tandpulver.

Rc. Pulveris Concharum præparatarum Drachmas sex,
— Radicis Iridis florentinæ Drachmam.

Quibus commixtis addantur

Coccinellæ Grana quinque,
Aluminis crudi Grana octo,

antea bene contrita et aquæ sufficiente parte in liquorem conversa, qui filtratus tamdiu cum pulvere conteratur, donec ille sicca evadat massa.

Pulvis digestivus.

Digestiv-Pulver.

Rc. Pulveris Tartari depurati Uncias duas,
— Nitri depurati Unciam,
— Radicis Rhei optimæ Unciam dimidiam.

Misceantur.

Pulvis digestivus ad quartanas.

Digestiv-Pulver mod Koldfeber.

Rc. Pulveris Tartari depurati Uncias duas,

Pulveris Ammonii muriatici depurati Unciam,
— Radicis Rhei optimæ Unciam dimidiam.
Misceantur.

Pulvis emeticus.

Brækpulver.

Rc. Pulveris Tartari stibiati Granum,
— Radicis Ipecacuanhæ Scrupulum.
Misceantur.

Pulvis epilepticus Marchionis.

Markgrevinde-Pulver.

Rc. Pulveris Radicis Poeoniæ,
— Rasuræ Cornu Cervi,
— Lapidum Cancrorum,
singulorum Uncias duas,
— Visci albi Unciam dimidiam.
Quibus commixtis optime admisceantur
Folia Auri triginta.

Pulvis expectorans.

Kermes-Pulver.

Rc. Kermes mineralis Granum,
Pulveris Sacchari albi Scrupulum.
Misceantur.

Pulvis eccoproticus.

Afförende Pulver.

Rc. Pulveris Tartari depurati Partes duas,
— Radicis Rhei optimæ Partem.

Misceantur.

Pulvis eccoprotico-tonicus.

Afförende Pulver med China.

Rc. Pulveris Corticis Chinæ regiæ Partes duas,
— Radicis Rhei optimæ Partem.

Misceantur.

Pulvis ad fumigationes muriaticas.

(*Suffitus Chlori.*)

Mineralsk Rögelse.

Rc. Pulveris Mangani oxydati nativi Unciam,
— Natri muriatici sicci Uncias tres.

Misceantur.

Nota. Ut vapores chlori evolvantur, acidi sulphurici crudi unciæ duæ aquæ communis unciis duabus dilutæ huic mixtioni infundantur.

Evolutio vaporum calore et agitatione mixtionis bacilli ope augetur.

Pulvis galactopoeus.

Mælkedrivende Pulver.

Rc. Pulveris Magnesiæ carbonicæ,
— Seminis Foeniculi,

Pulveris Sacchari albi,
singulorum Partes æquales.
Misceantur.

Pulvis Jalapæ compositus.

(*Pulvis laxans.*)

Laxeer-Pulver.

Rc. Pulveris Radicis Jalapæ Partes duas,
— Kali sulphurici depurati Partem.
Misceantur.

Pulvis Ipecacuanhæ compositus.

(*Pulvis Doveri.*)

Dovers Pulver.

Rc. Pulveris Radicis Ipecacuanhæ,
— Opii puri,
singulorum Drachmam,
— Kali sulphurici depurati Unciam.
Optime misceantur.

□ Pulvis Magnesiæ compositus.

(*Pulvis infantum cum Rheo.*)

Kinderpulver.

Rc. Magnesiæ carbonicæ,
Elæosacchari Foeniculi,
Pulveris Radicis Rhei optimæ,
singulorum Partes æquales.
Optime misceantur.

Pulvis pectoralis.

Bryst-Pulver.

Rc. Pulveris Radicis Iridis florentinæ,
— — Glycyrrhizæ,
singulorum Drachmas sex,
Florum Sulphuris lotorum Unciam dimidiam,
— Benzoes Drachmam,
Sacchari albi Uncias duas,
Olei destillati Foeniculi,
— — Anisi,
singulorum Guttas decem.

Lege artis bene commisceantur.

Pulvis pectoralis antispasticus.

Krampestillende Brystpulver.

Rc. Pulveris Opii puri,
— Radicis Ipecacuanhæ,
singulorum Grana tria,
— Amyli Drachmas duas,
— Sacchari albi Unciam dimidiam.

Optime commisceantur.

Pulvis pectoralis resolvens.

Oplösende Brystpulver.

Rc. Florum Sulphuris lotorum,
Pulveris Radicis Ari,
— — Iridis florentinæ,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

□ Pulvis refrigerans.

Kjölende Pulver.

Rc. Pulveris Tartari depurati Uncias tres,
— Nitri depurati,
Elæosacchari Citri,
singulorum Unciam dimidiam.

Misceantur.

Pulvis refrigerans antispasticus.

Kjölende krampestillende Pulver.

Rc. Moschi orientalis Grana quatuor,
Pulveris refrigerantis Unciam,
— Radicis Valerianæ Unciam dimidiam.

Misceantur.

Pulvis Rhei salinus.

Rhabarber-Pulver med Salmiak.

Rc. Pulveris Ammonii muriatici depurati,
— Radicis Rhei optimæ,
Elæosacchari Menthæ piperitæ,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

Pulvis Scillæ compositus.

Sammensat Strandlög-Pulver.

Rc. Pulveris Radicis Scillæ,
— — Vincetoxici,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

Pulvis sternutatorius.

Nysepulver.

Rc. Pulveris Herbæ Majoranæ Uncias tres,
— — Mari veri,
— Florum Convallariæ majalis,
— Radicis Iridis florentinæ,
singulorum Unciam.

Misceantur.

Pulvis stypticus.

Blodstillende Pulver.

Rc. Pulveris Aluminis crudi,
— Colophonii,
— Gummi arabici,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

□ Pulvis temperans camphoratus.

Tempererende Kamfer-Pulver.

Rc. Camphoræ raffinatæ pulveratæ Scrupulos duos,
Pulveris refrigerantis Unciam et dimidiam.

Optime commisceantur.

□ Pulvis vermifugus.

Ormepulver.

Rc. Pulveris Ferri sulphurici Drachmam,
— Seminis Cynæ,

Pulveris Seminis Tanaceti,
singulorum Drachmas tres.

Misceantur.

□ Resina Jalapæ.

Jalape-Harpix.

Radices jalapæ contusæ aquæ frigidæ quantitate sufficiente macerentur, quæ maceratio etiam repeti possit. Radicibus ita maceratis ac rursus prope siccatis spiritus vini rectificati tantum infundatur, ut pollicem circiter spiritus radices emineat. Ut digerantur radices, per quadraginta octo horas seponantur, et deinde expressis denuo pars spiritus vini affundatur. Tincturæ ita paratæ et filtratæ cum quarto earum pondere aquæ commisceantur, quæ mixtio e vesica diligenter mundata aut e retorta vitrea, ut pars spiritus abstrahatur, destilletur. Tum resina, in fundo apparatus destillatorii separata, aqua calida abluatur, donec aqua non amplius coloretur. Deinde in bacillos formata leni calore exsiccetur. Vase bene clauso in loco sicco servetur.

Nota. Ope apparatus, qui ad operationem, „**Deplacement**" *quæ vocatur, adhibetur, hæc resina quoque parari potest.*

Sit admodum fragilis, aëri exposita non humescens, spiritu vini rectificatissimo facillime et omnino solubilis, qua e solutione ope aquæ separata resina liquore kali caustici rursus solvatur. Æthere frigido prope insolubilis, æthere coquente autem solubilis.

Eodem modo paretur

Resina Guajaci artificialis, *kunstig Guajac-Harpix.*

Non tamen opus est, guajacum aquæ ope antea macerare.

Nota. Nisi medicus resinam guajaci artificialem verbis expressis præscribat, pharmacopola resinam guajaci nativam dispenset.

Rob antisyphiliticum.

Antisyphilitisk Syrup.

Rc. **Radicis Sarsaparillæ concisæ Uncias triginta duas,**
Ligni Guajaci rasi Uncias octo.

Decoquantur ter cum

Aquæ communis quantitate sufficiente,

atque tertiæ coctionis sub finem sensim addantur

Foliorum Sennæ concisorum,
Herbæ Boraginis concisæ,
Petalorum Rosarum rubrarum,
singulorum Unciæ duæ.

Liquores colati et commixti evaporentur, donec unciæ quadraginta remaneant, quibus addantur

Mellis albi,
Sacchari albi,
singulorum Libræ duæ.

Tum ad consistentiam rob ita inspissetur, ut pondus uncias septuaginta circiter efficiat. In vase porcellaneo servetur.

Nota. Decoctum, quod ad hunc syrupum parandum adhibetur, melius certe in apparatu ad operationem, „**Deplacement**" *quæ vocatur, efficiendam paratur.*

Rotulæ Menthæ piperitæ.

Pebermynte-Kager.

Rc. **Rotularum Sacchari albi venalium Uncias quatuor.**

Bene conquassentur in vitro, cui antea immissæ sunt

Ætheris acetici Guttæ triginta,
Olei Menthæ piperitæ Guttæ duodecim,

quæ ut intrinsecus bene expandi possint, vitrum ante bene quatiatur, quam rotulæ ingerantur. Quibus tum immissis, vitrum bene concutiatur, ut rotulæ vapores olei absorbere queant.

Sapo guajacinus.

Guajac-Sæbe.

Rc. **Liquoris Kali caustici quantum vis,**
Aquæ destillatæ Duplum.

Quibus vase idoneo simul calefactis

Pulvis Resinæ Guajaci

sensim addatur, donec pars resinæ insolubilis remaneat. Liquor colatus deinde leni calore ad consistentiam pilularem evaporetur.

Sit coloris viridi-fusci, saporis et odoris resinæ guajaci neque nimis alcalini; solutio aquosa sit limpida, coloris viridi-fusci.

Sapo jalapinus.

Jalape-Sæbe.

Rc. **Resinæ Jalapæ,**
Saponis hispanici rasi,
singulorum Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati quantum requiritur,

ut leni calore solvantur. Solutio deinde ad consistentiam pilularem evaporetur.

Sapo stibiatus.

(*Sapo antimonialis*)

Spydglands-Sæbe.

Rc. **Sulphuris stibiati aurantiaci Unciam,**
Liquoris Kali caustici quantum requiritur,
ut digerendo solvatur sulphuretum stibii. Solutioni cum
Aquæ destillatæ Duplo
dilutæ et filtratæ
Saponis hispanici pulverati Unciæ sex
addantur. Tum liquor ad consistentiam pilularem evaporetur, atque, si sapo adhuc ruber appareat,
Liquoris Kali caustici tantum
rursus addatur, ut colorem albo-cinereum obtineat.

Sit aqua omnino solubilis, addito acido colorem aurantiacum induat, dum magnam aëris hydrogenii sulphurati partem evolvat.

Sapo terebinthinatus.

(*Balsamum vitæ externum.*)

Hoffmanns Balsam til udvortes Brug.

Rc. **Saponis hispanici,**
Olei Terebinthinæ,
singulorum Libram,
Kali carbonici depurati Uncias duas.

Exacte lege artis commisceantur, ut fiat massa ungvento similis flavescens.

Serum Lactis dulcificatum.

Söd Mælke-Valle.

Rc. **Lactis vaccini recentis, cui Cremor omnis ademtus est, Libras duas.**

Ebulliant in lebete cupreo, intus stanno probe obducto. Tum,

Tartari depurati pulverati Drachma

immissa, iterum ebulliant. Coagulatione partis caseosæ peracta, liquor coletur, cui, ut penitus limpidus evadat,

Albumen Ovi in spumam conversum

addatur et cum lacte coquatur, donec coagulet albumen. Lacti denuo colato concharum præparatarum tantum, ut acidum prævalens saturetur, immittatur. Quo factum, serum ita paratum filtretur.

Paretur ex tempore.

Serum Lactis acidum.

Suur Mælke-Valle.

Paretur ut serum lactis dulcificatum, nisi quod conchæ præparatæ non addantur.

Serum Lactis aluminosum.

Alunholdig Mælke-Valle.

Obtinetur, si pro tartaro depurato aluminis crudi drachma libris duabus lactis addatur; conchæ non addantur, sed ope albuminis clarificetur serum.

Solutio emetica.

Brækvand.

Rc. **Tartari stibiati Grana tria,**
Aquæ destillatæ Uncias duas.

Solvantur.

Paretur ex tempore.

Solutio mannato-oleosa.

Olieholdig Manna-Mixtur.

Rc. Mannæ calabrinæ Uncias duas,
Salis anglici Unciam dimidiam,
Aquæ fervidæ Uncias quinque.

Quibus invicem solutis et colatis addatur
Olei Olivarum Uncia cum dimidia.

Misceantur.

Paretur ex tempore.

Species aromaticæ.

(Species pro Cucupha.)

Aromatiske Urter.

Rc. Herbæ Majoranæ,
— Meliloti,
— Basilici,
Florum Lavendulæ,
singulorum Uncias duas,
Caryophyllorum aromaticorum,
Corticis Cinnamomi,
singulorum Unciam.

Seorsim minutim concisa misceantur. Vase vitreo, epistomio bene obturato, serventur.

Species pro Balneo Vaporis.

Urter til Dampbad.

Rc. Herbæ Absynthii,
— Serpylli,
Florum Arnicæ,
— Sambuci,

Herbæ Meliloti,
singulorum Partes æquales.
Concisa commisceantur.

Species ad Clysmata visceralia Kæmpfii.

Urter til Kæmpfiske-Clysterer.

Rc. Radicis Taraxaci,
— Graminis,
— Valerianæ,
Herbæ Marrubii albi,
Florum Chamomillæ vulgaris,
singulorum Partes æquales.
Seorsim concisa misceantur.

□ Species emollientes.

Blödgjörende Urter.

Rc. Herbæ Malvæ Libram dimidiam,
— Meliloti,
Florum Sambuci,
— Chamomillæ vulgaris,
singulorum Uncias octo,
Radicis Altheæ Uncias decem,
Seminum Lini Libras tres.
Seorsim minutim concisa et contusa commisceantur.

□ Species pro Decocto Lignorum.

Species til Træ-Decoct.

Rc. Ligni Guajaci rasi Uncias sex,

Ligni Sassafras,
Radicis Bardanæ,
singulorum Uncias tres,
— Glycyrrhizæ Drachmas tres,
Stipitum Dulcamaræ Unciam et dimidiam,
Seminis Foeniculi Drachmas duas.

Seorsim concisa et contusa commisceantur.

□ Species fumales.

Almindelig Rögelse.

Re. Ligni Rhodii Uncias duodecim,
Radicis Iridis florentinæ Uncias viginti,
Corticis Cinnamomi,
— caryophyllati,
singulorum Uncias quatuor,
Benzoes,
Olibani,
Mastichis,
singulorum Libras duas,
Storacis calamitæ,
Succini,
singulorum Libram,
Petalorum Rosarum rubrarum,
Florum Lavendulæ,
singulorum Uncias sex.

Seorsim concisa et contusa commisceantur.

Species fumales optimæ.

Bedste Rögelse.

Re. Storacis calamitæ,

Benzoes,
singulorum Uncias duas,
Olibani,
Succini,
singulorum Unciam unam,
quibus seorsim minutim contusis, a pulverulentis liberatis, admisceantur
Olei Citri,
— Lavendulæ,
singulorum Guttæ decem.

□ Species pro Infuso pectorali.

Brystthe.

Rc. Radicis Altheæ Libram et dimidiam,
— Glycyrrhizæ,
Herbæ Tussilaginis,
— Veronicæ,
Florum Verbasci,
— Sambuci,
singulorum Uncias novem,
Seminis Anisi stellati Uncias sex.
Seorsim concisa et contusa commisceantur.

Species narcoticæ.

Smertestillende Urter.

Rc. Herbæ Belladonnæ,
— Conii maculati,
— Hyoscyami,
singulorum Partes æquales.
Concisa misceantur.

□ Species resolventes.

Fordelende Urter.

Rc. Herbæ Absinthii,
— Melissæ,
— Menthæ piperitæ,
— Origani,
singulorum Uncias octo,
Florum Chamomillæ vulgaris,
— Sambuci,
— Lavendulæ,
singulorum Uncias tres.

Seorsim concisa misceantur.

Species stomachicæ externæ.

Mave-Urter til udvortes Brug.

Rc. Herbæ Menthæ piperitæ,
— Absinthii,
Florum Chamomillæ,
Seminis Cumini,
singulorum Partes æquales.

Seorsim concisa et contusa commisceantur.

Species stomachicæ internæ.

Mave-Urter til indvortes Brug.

Rc. Herbæ Centaurii minoris,
— Cardui benedicti,
singulorum Uncias duas,
Radicis Galangæ,
— Zingiberis,

Seminis Coriandri,
singulorum Drachmas duas
Seorsim concisa et contusa misceantur.

□ Spiritus Cochleariæ.

Cochleare-Spiritus.

Rc. Herbæ Cochleariæ florentis et recentis Libras duodecim.
Quibus mortario lapideo contusis addantur
Spiritus Vini rectificati Libræ sex,
Aquæ fontanæ quantum satis.
Destillatione inde eliciantur libræ sex.

Spiritus Corticum Aurantiorum.

Pomerants-Skal-Spiritus.

Rc. Corticum Aurantiorum curassaviensium Libram et dimidiam,
Spiritus Vini rectificati Libras octo,
Aquæ fontanæ quantum satis.
E vesica lento igne destillentur spiritus libræ octo.

□ Spiritus Lavendulæ.

Lavendel-Spiritus.

Rc. Florum Lavendulæ Libram,
Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,
Aquæ fontanæ quantum satis.
E quibus per quadraginta octo horas maceratis destillatione eliciantur libræ quatuor. Vitro probe clauso servetur.
Eodem modo paretur

Spiritus Juniperi, *Enebær-Spiritus.*
— **Rorismarini,** *Rosmarin-Spiritus.*

Nota. Omnes spiritus abstracti, qui vitris probe obturatis servandi sunt, sint limpidi et coloris expertes, odorem fortem principii ad destillandum adhibiti præbentes.

□ Spiritus Lavendulæ compositus.

Sammensat Lavendel-Spiritus.

Rc. **Florum Lavendulæ Libras tres,**
Corticum recentium Citri Uncias tres,
Spiritus Vini rectificati Libras duodecim,
Aquæ communis quantum sufficit,

ut post macerationem et insequentem destillationem libræ duodecim obtineri possint, in quibus per triduum digerantur

Corticis Cinnamomi Unciæ tres,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum,
singulorum Uncia,
Radicis Alcannæ quantum requiritur

ad tincturam pulchre tingendam. Filtrentur.

□ Spiritus muriatico-æthereus.

(*Spiritus Salis dulcis.*)

Fortyndet Chlor-Æther.

Rc. **Natri muriatici siccati Uncias sedecim,**
Mangani hyperoxydati nativi Uncias sex.

Quibus probe mixtis et retortæ tubulatæ immissis caute infundantur

Acidi sulphurici crudi Unciæ duodecim,

cum

Spiritus Vini rectificatissimi Unciis quadraginta octo

antea caute mixtæ. Retortæ balneo arenæ impositæ ope vesicæ humidæ aut luti farinacei adaptetur excipulum, quod, ut refrigeretur, aquæ frigidæ immittatur. Tum leni igne destillentur unciæ triginta sex; ut autem cognoscatur earum volumen, convenit in superficie externa retortæ lineam notare, quæ demonstret, quantum voluminis retortæ impleant unciæ triginta sex. Si acido aut mangano muriatico inquinatus est spiritus muriatico-æthereus, supra

Magnesiæ ustæ Unciam

rectificetur. In vitris bene obturatis loco frigido servetur.

Sit limpidus, coloris expers, odoris proprii spirituoso-ætherei, saporis dulcis aromatici, ponderis specifici 0,835—0,845, ope caloris omnino avolet neque massam salinam relinquat. Charta exploratoria coerulea liquore imbuta neque rubescat, neque turbetur liquor nitrate argentico, liquore ammonii, acetate barytico. Kali carbonicum siccum cum liquore conquassatum humidum non fiat.

□ Spiritus nitrico-æthereus.

(Spiritus Nitri dulcis.)

Fortyndet Salpetersyre-Æther.

Rc. **Spiritus Vini rectificatissimi Uncias viginti quatuor, Acidi nitrici Unciis sex**

caute commixtas. E retorta balneo arenæ imposita et excipulo amplo munita leni igne destillentur unciæ viginti, quæ supra

Magnesiæ ustæ Unciam

rectificentur. In vitris parvis omnino replendis ac bene obturandis, additis cuivis vitro magnesiæ ustæ granis aliquot, loco frigido servetur.

Sit limpidus, coloris expers, ab acidis, quantum fieri potest, liber, ponderis specifici 0,84—0,85.

Spiritus odoratus.

Vellugtende Spiritus.

Rc. Spiritus Vini rectificatissimi Libras quatuor,
Aquæ Florum Naphæ Libram,
Olei Bergamottæ Unciam,
— Lavendulæ,
— Citri,
singulorum Drachmam.

Bene commixta filtrentur et vitro bene clauso serventur.

□ Spiritus ophthalmicus.

Öienspiritus.

Rc. Balsami peruviani nigri Guttas triginta,
Olei Lavendulæ,
— Majoranæ,
— Caryophyllorum,
— Serpylli,
— Rutæ,
— Succini rectificati,
singulorum Scrupulum unum,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias decem.

Misceantur et filtrentur.

□ Spiritus paralyticus.

Spiritus mod Lamhed.

Rc. Spiritus Vini camphorati Uncias quatuor,
Liquoris Ammonii caustici,
— Cornu Cervi,
singulorum Unciam,

Olei Juniperi,
— Succini,
singulorum Drachmas duas.

Bene commisceantur.

□ Spiritus saponatus.

(*Balsamum Saponis.*)

Sæbe-Spiritus.

Rc. **Saponis hispanici Uncias decem,**
Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,
Camphoræ raffinatæ Uncias duas.

Leni calore ad solutionem saponis et camphoræ usque digerantur. Tum addatur

Olei Rorismarini,
— Origani,
singulorum Uncia dimidia.

Bene commixta filtrentur.

□ Spiritus sulphurico-æthereus.

(*Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.*)

Hoffmanns Draaber.

Rc. **Ætheris sulphurici Partem unam,**
Spiritus Vini rectificatissimi Partes tres.

Bene misceantur et vitro optime obturato serventur.

□ Spiritus sulphurico-æthereus camphoratus.

(*Liquor nervinus.*)

Kamfer-Draaber.

Rc. **Camphoræ raffinatæ Unciam,**

Spiritus sulphurico-ætherei Uncias sex.

Solutio filtrata vitro bene clauso servetur.

□ Spiritus sulphurico-æthereus martiatus.

(Liquor anodynus martialis.)

Jernholdige Hoffmanns-Draaber.

Rc. **Liquoris Ferri muriatici Partem,**
Ætheris sulphurici Partes duas.

Vasi idoneo immissæ per quadrantem horæ continuo conquassentur. Liquor innatans decanthetur atque cum

Spiritus Vini alcoholisati Partibus quatuor

commisceatur. Tum vitris oblongis, bene obturatis immissus radiis solis exponatur, donec omnis color evanuerit. Vitris probe clausis loco aprico servetur.

Sit limpidus, aut coloris expers aut flavescens, minime fuscus, ponderis specifici 0,83—0,84. Liquore kali caustici addito sedimentum ex albo viride aut coeruleo-viridescens oriatur.

□ Spiritus Vini alcoholisatus.

Alcoholiseret Viinaand.

Spiritus vini rectificatissimus cum kali carbonici siccissimi parte sedecima in vitro obturato conquassetur, quæ operatio cum pari quantitate kali carbonici sicci bis terve repetatur, donec kali siccum remaneat. E quo liquore, a kali decanthato destillentur tres quadrantes partes aut tantum, ut pondus specificum 0,81—0,82 sit. Vitris bene clausis servetur.

□ Spiritus Vini camphoratus.

Kamfer-Spiritus.

Rc. Camphoræ raffinatæ Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Bene conquassentur, donec camphora soluta sit. Tum filtretur et vitro bene clauso servetur.

Spiritus Vini camphoratus crocatus.

Safranholdig Kamfer-Spiritus.

Rc. Spiritus Vini camphorati Uncias sex,
Tincturæ Croci Unciam dimidiam.

Misceantur.

□ Spiritus Vini rectificatissimus.

Höist rectificeret Viinaand.

E vesica destillatoria destilletur spiritus vini gallici, "*Sprit*" qui vocatur, donec pondus specificum totius partis destillatæ sit 0,835—0,845.

□ Spiritus Vini rectificatus.

Rectificeret Viinaand.

Rc. Spiritus Vini rectificatissimi Partes septendecim,
Aquæ destillatæ Partes septem.

Misceantur. Sit ponderis specifici 0,895—0,905.

□ Spongia cerata.

Vox-Svamp.

Spongiæ marinæ tenues, mundatæ, exsiccatæ, cera flava liquefacta probe infectæ, adhuc calentes sub prelo tepido fortissime comprimantur, ibique relinquantur, donec refrixerint.

Spongia tosta.

Brændt Svamp.

Spongia marina a partibus lapideis bene mundata, minutim concisa, crucibulo leviter tecto immissa uratur, donec vapores non amplius adscendant. Crucibulo refrigerato, carbo inde paratus in pulverem subtilissimum teratur, qui vitro bene clauso servetur.

Stibium oxydatum album.

(*Antimonium diaphoreticum.*)

Hvidt Spydglands-Ilte.

Re. **Reguli Antimonii pulverati Partes duas,**
Kali nitrici depurati Partes quatuor cum dimidia.

Bene commixta in crucibulum amplum et leniter candens successive immittantur, cavendo, ne particulæ carboneæ aut ex igne aut spathulo adhærentes illi ingerantur, neque ignis tantum augeatur, ut in fluxum convertatur massa candens. Partes stibii oxydulati, quæ partibus superioribus crucibuli adhæreant spathula bene abstergantur et massæ candenti immisceantur. Detonatione peracta, massa adhuc per semihoram candescat, tunc cochleari ferreo eximatur, teratur et adhuc calida

Aquæ destillatæ Decuplo

infundatur. Quibus, dum bene agitentur, instilletur

Acidum sulphuricum dilutum,

donec hoc nonnihil prævaleat. Tandem sedimentum sollicite edulcoratum et siccatum in pulverem subtilissimum redigatur.

Sit pulvis albissimus, sine odore et sapore, aceto diluto haud solubilis, neque eo effervescat.

Stibium oxydatum griseum.

Graat Antimon-Ilte.

Rc. **Stibii puri pulverati Uncias quatuor,**
Acidi nitrici Uncias octo,
Aquæ destillatæ Uncias triginta duas.

Quæ in cucurbitam vitream immissa calore 60° C. circiter digerantur, donec aër acidi nitrosi non amplius evolvatur. Tum, liquore innatante decanthato, stibium oxydatum remanens aqua destillata bene edulcoratum cum

Natri carbonici crudi Uncia dimidia,
Aquæ destillatæ Parte sufficiente

per semihoram coquatur et denique aqua destillata ablutum siccetur et servetur.

Sit pulvis sordide albus, ope tubi ferruminatorii in carbone ignitus in metallum facile reducatur, nullo evoluto odore alliaceo; per se ignitus colore flavo liquescat. Acido muriatico omnino solvatur.

Stibium purum.

(*Regulus Antimonii.*)

Spydglands-Metal.

Rc. **Stibii sulphurati nigri lævigati Partes quatuor,**
Tartari crudi pulverati Partes tres,
Kali nitrici pulverati Partem unam cum dimidia.

Bene commixta crucibulo candenti sensim immittantur. Detonatione peracta, massa adhuc per horam dimidiam tanto igni exponatur, donec perfecte fusa sit. Tum in conum fusorium effun-

datur, cujus in fundo, quum massa refrigerata est, frustulum metallicum massæ salinæ adhærens apparet. Aqua separatum metallum vase clauso servetur.

Sit coloris stannei, splendens, fractura lamellari radiata, admodum fragilis; in pulverem facile redigatur.

□ Stibium sulphuratum nigrum purum.

Reent sort Svovel-Spydglands.

Rc. Stibii puri subtilissime pulverati Uncias viginti et unam,

Sulphuris depurati Uncias novem.

Intime mixta in crucibulum immittantur et strato salis communis bene siccati crassitie pollicis tegantur. Igni deinde tanto exponatur crucibulum, ut per semihoram candescat. Tum crucibulum refrigeratum diffrangatur, massa autem cohærens chalybeo-grisea, splendens ac radiata, a scorio et stibio, si adest, separetur et servetur.

Nota. Si medicus stibium sulphuratum nigrum præscribit, pharmacopola hoc ita paratum dispenset, quia venale fere nunquam arsenico liberum occurrit.

□ Stibium sulphuratum nigrum lævigatum.

Præpareret, sort Svovel-Spydglands.

Stibium sulphuratum nigrum electum, in mortario ferreo in pulverem redactum, super porphyritem, affuso nonnihil aquæ, lævigetur, donec particulæ micantes disparuerint. Massa ita lævigata loco calido siccetur et deinde pulveretur.

Strychninum.

Strychnin.

Rc. **Nucum Vomicarum limatarum Libras octo.**

Quibus vesicæ destillatoriæ immissis addantur

Spiritus Frumenti Libræ sedecim.

Alembico apposito et juncturis clausis, coquantur, donec dimidia liquoris pars destillaverit. Tum nuces vomicæ colando a liquore separentur et siccatæ in pulverem haud nimis subtilem redigantur, cui

Spiritus Frumenti Pars sufficiens

bis terve infundatur, dum post singulam digestionem peractam nuces bene exprimantur. Tincturæ ita paratæ et commixtæ destillentur, donec omnis spiritus abstractus sit; remanens autem pars aquosa cum priore liquore decocto commixta evaporetur, donec libræ duodecim remaneant, quibus addatur

Plumbum aceticum, Aquæ destillatæ sufficiente Parte solutum,

quamdiu sedimentum inde oritur. Quo facto, liquor a sedimento, quantum fieri potest, filtrando separatus leni calore evaporetur, donec libræ quatuor remaneant. Liquori filtrato deinde admisceantur

Magnesiæ ustæ Unciæ duæ,

quæ miscela per tres dies seponatur, tunc autem sedimentum filtrando separatum edulcoretur et siccetur. Quod in pulverem redactum cum

Spiritus Vini alcoholisati Sextuplo

bis terve digeratur, tincturæ autem inde paratæ destillentur, donec aliquot unciæ remaneant, ex quibus, retorta refrigerata, strychninum pulveris albi instar concrescat, qui, filtrando separatus, ope spiritus vini rectificatissimi æquali aquæ parte diluti edulcoretur, ut lixivium adhærens separetur. Tum bene siccatum vitro bene obturando ingeratur, quod summa cautione servetur.

Sit pulvis albus, crystallinus, inodorus, saporis amarissimi, ingrati, fere metallici, aqua prope, æthere omnino insolubilis, spiritu vini rectificatissimo facile solubilis, flammæ tubi ferruminatorii expositus omnino diffugiat, addito acido nitrico colorem quidem rubrum induat, mox autem in flavescentem vergentem; si ruberrimus evadat, major brucini copia inest.

Strychninum nitricum.

Salpetersyret Strychnin.

Rc. **Strychnini quantum vis.**

Vase porcellaneo cum aqua destillata fervida bene teratur, et deinde sensim addatur

Acidi nitrici diluti quantum sufficit,

ut solutio neutra oriatur, quæ deinde filtrata leni calore ad punctum crystallisationis evaporetur. Crystalli inde formatæ et leviter ablutæ bene siccentur et cautissime serventur. E lixivio innatante evaporatione repetita crystalli denuo obtineri possunt.

Sint crystalli aciculares, sericeo-nitentes, coloris expertes, aqua facilius quam spiritu solubiles, æthere insolubiles. Si brucinum continent, addito acido sulphurico aut muriatico color ruber apparet.

□ Succus Glycyrrhizæ depuratus.

(*Extractum Liquiritiæ.*)

Renset Lakrits.

Succus glycyrrhizæ venalis in frustula dissectus aqua communi maceretur, ut quod ea solvi possit solvatur. Solutio per pannum colata seponatur, ut fæces subsideant, liquor innatans limpidus caute decanthetur, et primum leni igne, deinde balneo vaporis ad consistentiam extracti evaporetur, quod, loco calido siccatum, deinde aut in pulverem redigatur aut in bacillos formetur. Loco sicco servetur.

Succus Glycyrrhizæ compositus.

Engelsk Lakrits.

Rc. Succi Glycyrrhizæ depurati Partes duas,
Gummi arabici Partem,
Aquæ communis quantum requiritur

ad solutionem efficiendam, quæ seponendo depurata et colata ad tantam extracti spissitudinem evaporetur, ut lege artis in bacillos tenues formari possit.

□ Succus Juniperi inspissatus.

(Rob Juniperi.)

Tyk Enebær-Saft.

Rc. Baccarum Juniperi maturarum, recentium, contusarum Libram,
Aquæ communis Libras quatuor.

Coquantur, donec libræ duæ supersint. Liquori expresso, quum fæces subsederint et colatura facta sit, addatur

Sacchari albi Libra dimidia.

Deinde ad consistentiam syrupi spissioris leni igne inspissetur succus

---

□ Succus Sambuci inspissatus.

(Rob Sambuci.)

Tyk Hylde-Saft.

Succus e baccis sambuci maturis, mortario lapideo contusis, expressus, subsidendo et colando depuratus, quarta ponderis parte sacchari albi addita, ad consistentiam syrupi spissioris evaporetur.

□ Sulphur depuratum lotum.

(*Flores Sulphuris loti.*)

Udvadskede Svovelblomster.

Sulphur depuratum aqua tepida abluatur, donec acidum adhærens remotum sit et aqua abluens chartam exploratoriam coeruleam rubram non reddat. Tum inter chartam bibulam siccatum per cribrum transferatur et deinde in vase bene obturato servetur.

□ Sulphur præcipitatum.

(*Lac Sulphuris.*)

Svovelmælk.

Rc. **Kali sulphurati e Partibus æqualibus Kali carbonici et Sulphuris depurati fusione parati Partem,**
Aquæ fervidæ Partes octo.

Solutio inde facta vitro bene obturato immissa per quadraginta octo horas seponatur, ut partes alienæ fundum petant. Liquor omnino limpidus caute decanthetur, turbulenta autem pars, qæu in fundo vitri remanet, filtretur. Tum liquori in vas figulinum aut murrhinum tam amplum, ut tantum duæ tertiæ ejus voluminis partes impleantur, immisso, sensim et inter perpetuam agitationem addatur

Acidi sulphurici diluti quantum

ad sulphur præcipitandum requiritur, caute evitando aërem hydrogenii sulphurati sese evolventem. Tum sedimentum a liquore innatante caute decanthando separatum aqua tepida tam sæpe edulcoretur, donec aqua abluens omnino insipida evadat. Sulphur ita præcipitatum pressione inter chartam bibulam ab humore liberetur, calore modico siccetur, denique contritum vase clauso servetur.

Sit pulvis subtilissimus, coloris albi aut cinereo-flavescentis et ignis ope omnino avolet.

□ Sulphur stibiatum aurantiacum.

(*Sulphur auratum Antimonii.*)

Pomerantsfarvet Spydglands-Svovel.

Rc. **Natri sulphurici bene siccati Libras duas,**
Stibii sulphurati nigri lævigati Libram,
Carbonis vegetabilis Libram dimidiam.

Bene commixta in crucibulo tecto fundantur, donec liquefacta olei instar fluant. Massa ita fluens in mortarium lapideum effusa, refrigerata et pulverata

Aquæ destillatæ Octuplo

coquendo solvatur. Liquori bullienti filtrato, ut solvantur, addantur

Sulphuris depurati loti Unciæ tres.

Solutio calida filtrata deinde in locum frigidum ad crystallisandum seponatur, atque e lixivio innatante crystalli plures evaporatione obtineri possunt. Tum crystalli ita obtentæ, ab accessu lucis inter colligendum, quantum fieri potest, servatæ

Aquæ destillatæ Partibus viginti

solvantur. Solutioni filtratæ tandem instilletur

Acidum sulphuricum dilutum

quamdiu sedimentum aurantiacum inde oritur, quod, bene edulcoratum atque post pressionem inter chartam bibulam loco umbroso siccatum, in vase bene obturato, charta nigra velato, servetur.

Nota. Omnino necesse est solutionem massæ fusæ atque cum sulphure coctam in crystallos primum redigi, quam acido sulphurico diluto sulphur stibiatum aurantiacum præcipitetur, quia experientia docuit, lixivium crystallis innatans nullum sulphuretum stibii continere et arsenicum, si stibio inest, in lixivio solutum quoque remanere et addito acido præcipitari.

Sit pulvis subtilissimus, coloris aurantiaci, inodorus, insipidus; aqua destillata partes salinas non extrahat, partibus quinquaginta liquoris ammonii caustici, leni calore adhibito, sicuti etiam coquendo liquore kali caustici plane solvatur.

□ Sulphur stibiatum rubrum.

(Kermes minerale.)

Mineral-Kermes.

Ut in sulphure stibiato aurantiaco describendo dictum est, natrum sulphuricum siccum, stibium sulphuratum nigrum lævigatum, carbo vegetabilis eadem proportione, nullo sulphure postea addito, simul fundantur et deinde lege artis in crystallos redigantur. Quæ crystalli deinde

Aquæ destillatæ Partibus triginta

solvantur, et solutioni inde factæ inter perpetuam agitationem ope bacilli vitrei addatur

Acidum sulphuricum dilutum,

quamdiu sedimentum oritur, quod eodem modo, quo sulphur stibiatum aurantiacum edulcoretur, siccetur, servetur.

Sit pulvis subtilissimus, vix palpabilis, rubro-fuscus, insipidus, inodorus; aqua partes salinas non extrahat, acido muriatico, calore modico adhibito, dum aër hydrogenii sulphurati evolvatur, plane solvatur. Num oxydum antimonii insit, explorari potest, si, quando æquali pondere tartari depurati et partibus sex aquæ coquitur kermes et aër hydrogenii sulphurati additur, sedimentum aurantiacum oritur.

Syrupus Acetositatis Citri.

Citron-Saft-Syrup.

℞. **Succi Citri filtrati Uncias decem,**
Sacchari albi Uncias sedecim.

In lebete stanneo ebulliant, syrupus inde paratus per pannum laneum colatus servetur.

Eadem ratione parentur

□ Syrupus Cerasorum, *Kirsebær-Syrup.*
— Mororum, *Morbær-Syrup.*
— Ribium, *Ribs-Syrup.*
— Rubifruticosi, *Brombær-Syrup.*
□ — — idæi, *Hinbær-Syrup.*
— Sambuci, *Hyldebær-Syrup.*

□ Syrupus Altheæ.

Althea-Syrup.

Rc. Radicis Altheæ decorticatæ et concisæ Uncias tres,
Aquæ communis Libras sex.

Coquantur, donec libræ quatuor remaneant, quibus colatis et subsidendo depuratis addantur

Sacchari albi Libræ septem.

Solutio inde facta in lebete stanneo ebulliat, tum per pannum laneum colatus syrupus, refrigeratus in vase murrhino aut porcellaneo loco frigido servetur.

Syrupus Amygdalarum.

Mandel-Syrup.

Rc. Amygdalarum dulcium Uncias decem,
— amararum Uncias duas.

Quibus decorticatis atque in mortario lapideo cum pauxillo aquæ in pultem tenuem contusis terendo sensim addantur

Aquæ Rosarum Libræ duæ,
— Florum Naphæ Unciæ duæ.

Emulsionis inde paratæ et colatæ Unciis viginti

Sacchari albi Libræ quatuor

solvantur. Calore lenissimo fiat syrupus, qui per pannum colatus servetur.

Syrupus Capillorum Veneris.

Fruehaar-Syrup.

Rc. Herbæ Capillorum Veneris Uncias tres,
Aquæ ferventis Libras tres.

Stent per noctem vasi clauso immissæ. Mane coquantur, donec Libræ duæ remaneant, quibus addantur

Sacchari albi Libræ duæ.

Coquantur ad consistentiam syrupi, cui refrigerato immisceatur

Aquæ Florum Naphæ Uncia cum dimidia.

Syrupus Cinnamomi.

Caneel-Syrup.

Rc. Corticis Cinnamomi minutim contusi Uncias duas,
Aquæ Cinnamomi vinosæ Libram,
— Rosarum Uncias duas.

In vase clauso per triduum digerantur. In

Colaturæ Unciis undecim

blando calore solvatur

Sacchari albi Libra cum dimidia,

ut fiat syrupus.

Syrupus Corticum Aurantiorum.

Pomerants-Skal-Syrup.

Rc. Flavedinis Corticum Aurantiorum concisæ Uncias octo,
Aquæ communis ferventis Libras duas cum dimidia.

Vase clauso per sex horas digerantur.

Infusi colati Libris duabus
Sacchari albi Libræ quatuor

addantur, ut fiat syrupus.

Syrupus Croci.

Safran-Syrup.

Rc. Croci orientalis Unciam dimidiam,
Vini gallici albi Libram.

Per aliquot horas leni calore digerantur.

Liquoris colati Unciis decem

blando calore

Sacchari albi Libra cum dimidia

solvatur, ut fiat syrupus.

□ Syrupus Diacodii.

(*Syrupus Capitum Papaveris.*)

Valmue-Syrup.

Rc. Capitum Papaveris non plane maturorum cum Seminibus, siccatorum et concisorum Uncias sex,
Radicis Glycyrrhizæ concisæ Unciam duas,
Aquæ communis ferventis Libras sex.

Quæ per noctem simul macerata coquantur, donec dimidia aquæ pars evaporata sit. Tum decocto expressione colato et subsidendo depurato

Sacchari albi Libræ quatuor

solvantur. Coquendo fiat syrupus.

Syrupus ferri jodati. ———

Syrupus Florum Aurantiorum.

Pomerants-Blomst-Syrup.

Rc. Sacchari albi Libram cum dimidia.

Blandissimo calore solvatur

Aquæ Florum Aurantiorum Unciis decem,

ut fiat syrupus.

Syrupus Foeniculi.

Fennikel-Syrup.

Rc. Seminis Foeniculi contusi Uncias duas,
Aquæ fervidæ quantum sufficit,
ut post digestionem duarum horarum
Liquoris colati Unciæ quatuordecim
remaneant, quibus
Sacchari albi Libræ duæ
solvantur, ut fiat syrupus.

Syrupus Glycyrrhizæ.

Lakrits-Rod-Syrup.

Rc. Radicis Glycyrrhizæ excorticatæ, concisæ Uncias octo,
Aquæ fervidæ Libras tres.

Quæ per aliquot horas digestæ per quadrantem horæ leniter coquantur. Liquor expressus evaporetur, donec unciæ viginti octo remaneant, quibus addantur
Sacchari albi Libræ quatuor.
Ebulliendo fiat syrupus.

□ Syrupus Mannæ.

Manna-Syrup.

Rc. Foliorum Sennæ alexandrinæ Uncias quatuor,
Seminis Foeniculi,
Radicis Zingiberis,
singulorum Drachmam.

Quæ concisa et contusa cum

Aquæ fervidæ Libris duabus
per aliquot horas digerantur. Infuso colato solvantur
Mannæ calabrinæ Unciæ sex,
Sacchari albi Unciæ viginti duæ,
ut ebulliendo fiat syrupus.

□ Syrupus Papaveris Rhoeados.

Valmue-Blomst-Syrup.

Rc. **Florum Papaveris Rhoeados siccatorum Uncias tres,**
Aquæ fervidæ Libras tres.
Per noctem simul macerentur.
Colaturæ expressæ Unciis viginti
Sacchari albi Libræ tres
addantur, ut ebulliendo fiat syrupus.

□ Syrupus Rhei.

Rhabarber-Syrup.

Rc. **Radicis Rhei concisæ Uncias quatuor,**
Kali carbonici Drachmas duas,
Aquæ fervidæ Libras duas.
Per noctem digerantur.
Infusi colati Unciis viginti
Sacchari albi Libræ tres
addantur, ut ebulliendo fiat syrupus.

□ Syrupus Sacchari sive simplex.

Sukker-Syrup.

Rc. Sacchari albi Libras tres,
Aquæ communis Uncias viginti.

Solutio inde facta, albumine aliquot ovorum admixto, ebulliendo fiat syrupus.

Syrupus Senegæ.

Senega-Syrup.

Rc. Radicis Senegæ concisæ Unciam,
Aquæ fervidæ Uncias decem.

Per noctem digerantur. Infuso colato solvantur
Sacchari albi Unciæ sedecim.

Ebulliendo fiat syrupus.

Syrupus Violarum.

Viol-Syrup.

Rc. Petalorum Violæ odoratæ Uncias octo,
Aquæ fervidæ Libras duas.

In vase stanneo per horas duodecim digerantur.
Liquoris colati Unciis viginti
solvantur
Sacchari albi Libræ tres.

Lenissimo calore fiat syrupus.

Syrupus Zingiberis.

Ingefær-Syrup.

Rc. Radicis Zingiberis concisæ Uncias duas,

Aquæ fervidæ Uncias sedecim.

Per aliquot horas digerantur et deinde colentur.

Liquoris colati Unciis tredecim

solvantur

Sacchari albi Libræ duæ,

ut ebulliendo fiat syrupus.

□ Tartarus boraxatus.

(*Cremor Tartari solubilis.*)

Oplösclig Viinsteen.

Rc. **Boracis pulveratæ Libram dimidiam,**
Aquæ destillatæ ferventis Libras quinque.

Solutioni inde factæ inter continuo agitandum inspergatur

Pulveris Tartari depurati Libra cum dimidia vel quantum solvitur.

Liquor vasi porcellaneo immissus atque ad consistentiam syrupi evaporatus cum aquæ destillatæ fervidæ partibus tribus commisceatur, atque per aliquot dies loco frigido seponatur, ut calx tartarica fundum petat. Tum liquor filtratus balneo vaporis ad siccitatem evaporetur, et sal ita paratus in pulverem redigatur, qui vitro optime obturando loco sicco servetur.

Sit pulvis albus, aëri expositus facile humescens, saporis acidi non ingrati, pari aquæ pondere solubilis, a partibus metallicis liber.

□ Tartarus depuratus.

(*Cremor Tartari.*)

Renset Viinsteen.

Crystalli tartari ab inquinamentis rudioribus liberatæ aqua

fontana frigida abluantur et rursus siccatæ in mortario ferreo sicco et mundato in pulverem subtilem terantur.

Sit pulvis subtilissimus et albissimus, aqua coquente prorsus solubilis.

Tartarus natronatus.

(*Sal polychrestum de Seignette.*)

Seignette-Salt.

Rc. **Natri carbonici depurati Libram,**
Aquæ communis fervidæ Libras sex.

Solutioni inde factæ sensim addantur

Pulveris Tartari depurati quantum requiritur,

ut natrum prope neutralisetur. Liquor viginti quatuor horas seponatur et deinde filtratus evaporetur, donec gutta in laminam frigidam immissa crystallos efficiat. Quæ, si opacæ apparent,

Aquæ destillatæ fervidæ Partibus tribus

solvantur. Tum solutio lege artis in crystallos redigatur, quæ collectæ et ablutæ siccentur et vitro clauso serventur.

Sint crystalli magnæ, coloris expertes, pellucidæ, aquæ partibus duabus solubiles, saporis amaricantis, salsi, ab inquinamentis metallicis prorsus, a calcaria tartarica, quantum fieri potest, liberæ, quod ut in kali tartarico exploratur.

□ Tartarus stibiatus.

(*Tartarus emeticus.*)

Brækviinsteen.

Rc. **Stibii oxydati grisei,**
Tartari depurati pulverati,
Aquæ destillatæ,
singulorum Uncias quatuor.

Bene commixta vasi porcellaneo immissa per horam ita digerantur, ut sub finem mixtio calorem aquæ coquentis accipiat. Tum

Aquæ destillatæ coquentis tantum

addatur, ut pondus liquoris fervidi filtrati libras quinque efficiat, quæ evaporando et refrigerando in crystallos redigantur. Crystalli inde effectæ conterantur et partibus quindecim aquæ destillatæ frigidæ solvantur; solutio autem evaporando denuo in crystallos convertatur, quarum bene siccatarum albissimæ, in pulverem subtilissimum redactæ, vitro obturato serventur.

Sit pulvis albissimus, aquæ quindecim partibus solubilis; si quid enim remanet aut calx tartarica aut tartarus depuratus inest. Solutio kali borussici solutioni aquosæ, guttis nonnullis aceti concentrati acidulatæ, instillata colorem aut sedimentum coeruleum haud efficiat, neque virescat solutio, si liquor cupri ammoniacalis additur.

□ Thea amara.

Bitter The.

Rc. **Baccarum Juniperi contusarum,**
Herbæ Trifolii fibrini concisæ,
Foliorum Sennæ concisorum,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

Thea Arnicæ.

Volverlei-The.

Rc. **Florum Arnicæ Partes quatuor,**
— Lavendulæ,
Seminis Foeniculi,
singulorum Partem.

Concisa et contusa misceantur.

□ Thea demulcens.

Slüm-The.

Rc. Seminum Lini,
Radicis Altheæ,
singulorum Partes quatuor,
— Glycyrrhizæ,
Seminum Foeniculi,
singulorum Partem unam.

Concisa et contusa misceantur.

□ Thea Juniperi.

Enebær-The.

Rc. Baccarum Juniperi contusarum Partes sex,
Seminis Anisi vulgaris contusi Partem dimidiam.

Misceantur.

□ Tinctura Absinthii.

Malurt-Draaber.

Rc. Herbæ Absinthii siccatæ concisæ Partem,
Spiritus Vini rectificati Partes quatuor.

In cucurbitam vitream vesica humida cláusam immissæ per triduum, vase sæpius agitando, digerantur. Tum exprimantur et filtrentur.

Eadem ratione paretur

□ Tinctura Trifolii fibrini, *Bukkeblade-Draaber.*

Tinctura Aconiti.

Stormhat-Draaber.

Rc. Herbæ Aconiti siccatæ et concisæ Unciam,
Spiritus Vini rectificati Libram.

Eodem modo quo tinctura absinthii digerantur.

Eadem ratione paretur

□ Tinctura Digitalis purpureæ, *Fingerbölle-Draaber.*

Tinctura Aconiti ætherea.

Flygtige Stormhat-Draaber.

Rc. Herbæ Aconiti siccatæ et concisæ Unciam,
Spiritus sulphurico-ætherei Uncias octo.

Vitro bene obturato, sæpius conquassando, per tres dies macerentur. Cito exprimantur et filtrentur.

Eadem ratione parentur

Tinctura Digitalis ætherea, *flygtige Fingerbölle-Draaber.*

— Valerianæ ætherea, *flygtige Baldrian-Draaber.*

Tinctura Aloes.

Aloe-Draaber.

Rc. Aloës lucidæ contusæ Uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Libram.

Solito modo digerantur.

Eadem ratione parentur

□ Tinctura Asæ foetidæ, *Dyvelsdræk-Draaber.*

— Benzoës, *Benzoe-Draaber.*

□ — Castorei canadensis, *canadisk Bævergeil-Draaber.*

— — moscovitici, *russisk Bævergeil-Draaber.*

— Guajaci e Ligno, *Pokkenholt-Draaber.*

— Kino, *Kino-Draaber.*

□ — Myrrhæ, *Myrrha-Draaber.*

□ Tinctura amara.

Bittre Draaber.

Rc. Herbæ Absinthii Uncias duas,
— Cardui benedicti,
Radicis Gentianæ,
Pomorum Aurantiorum immaturorum,
singulorum Unciam dimidiam,
Seminis Anisi Drachmam unam.

Concisa et contusa digerantur cum
Spiritus Vini gallici Libris tribus.

Tinctura Angelicæ.

Angelica-Draaber.

Rc. Radicis Angelicæ concisæ Partem unam,
Spiritus Vini rectificati Partes quinque.

Solito modo digerantur.

Eadem ratione parentur

Tinctura Calami aromatici, *Calmus-Draaber.*

— Colchici e Seminibus, *Colchicum-Draaber.*

□ Tinctura Corticum Aurantiorum, *Pomerants-Draaber.*
— Cascarillæ, *Cascarille-Draaber.*
□ — Chinæ regiæ, *China-Draaber.*
□ — Cinnamomi, *Caneel-Draaber.*
— Gei urbani, *Nellike-Rod-Draaber.*
□ — Gentianæ, *Enzian-Draaber.*
— Hyoscyami e Seminibus, *Bulme-Draaber.*
□ — Pimpinellæ, *Pimpinelle-Draaber.*
— Pyrethri, *Bertram-Draaber.*
— Qvassiæ, *Qvassie-Draaber.*
— Ratanhiæ, *Ratanhia-Draaber.*
— Stramonii e Seminibus, *Pigæble-Draaber.*
□ — Valerianæ, *Baldrian-Draaber.*
— Vincetoxici, *Svalerod-Draaber.*
— Zingiberis, *Ingefær-Draaber.*

Tinctura antasthmatica.

Draaber mod Asthma.

Rc. Tincturæ Digitalis purpureæ,
— Asæ foetidæ,
Liquoris nervini,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

Tinctura antirhachitica.

(*Mixtura antirhachitica.*)

Draaber mod Rhachitis.

Rc. Extracti Gentianæ Drachmam dimidiam.

Solvatur

Tincturæ Rhei aquosæ Uncia.

Cui solutioni addantur

Liquoris Kali carbonici Drachmæ duæ.

Misceantur.

Tinctura antiscorbutica.

Draaber mod Scorbut.

Rc. **Spiritus Vini rectificatissimi Partes quatuor,**

quibus sensim et guttatim instilletur

Acidi sulphurici rectificati Pars una.

Tum addatur

Coccionellæ Drachma dimidia.

Post digestionem solitam lege artis filtretur.

Tinctura aperiens.

(*Mixtura aperiens.*)

Oplösende Draaber.

Rc. **Tincturæ Rhei aquosæ,**
Liquoris Kali tartarici,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

Tinctura aperiens amara.

(*Mixtura aperiens amara.*)

Bittre oplösende Draaber.

Obtinetur, si quavis uncia tincturæ aperientis drachma dimidia extracti gentianæ solvitur.

Tinctura Arnicæ.

Volverlei-Draaber.

Rc. Florum Arnicæ Unciam et dimidiam,
Spiritus Vini rectificati Libram.

Solito modo digerantur.

Eadem ratione paretur

Tinctura Croci, *Safran-Draaber.*
— Lobeliæ inflatæ, *Lobelie-Draaber.*

□ Tinctura aromatica.

Aromatiske Draaber.

Rc. Corticis Cinnamomi Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum aromaticorum,
Radicis Galangæ,
— Zingiberis,
singulorum Unciam dimidiam,
Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Solito modo digerantur et filtrentur.

Tinctura Benzoes composita.

(*Balsamum Commendatoris, Friars Balsom.*)

Sammensatte Benzoe-Draaber.

Rc. Benzoës contusæ Uncias quatuor cum dimidia,
Aloës lucidæ Unciam dimidiam,
Balsami peruviani nigri Unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Solito modo digerantur et filtrentur.

□ Tinctura Cantharidum.

Spanskflue-Draaber.

Rc. Cantharidum contusarum Unciam,
Spiritus Vini rectificati Uncias sedecim.

Solito modo digerantur.

Tinctura Cantharidum concentrata.

Concentrerede Spanskflue-Draaber.

Rc. Cantharidum contusarum Uncias tres,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duodecim.

Solito modo digerantur.

Tinctura carminativa.

Colik-Draaber.

Rc. Radicis Zedoariæ Uncias quatuor,
— Calami aromatici,
— Galangæ,
singulorum Uncias duas,
Florum Chamomillæ romanæ,
Seminis Anisi,
— Carvi,
singulorum Unciam,
Baccarum Lauri,
Caryophyllorum aromaticorum,
singulorum Drachmas sex,
Flavedinis Corticum Aurantiorum,
Macidis,
singulorum Unciam dimidiam.

Concisa et contusa digerantur cum

Aquæ Menthæ piperitæ,
Spiritus Vini rectificatissimi,
singulorum Unciis viginti quatuor.

Tum tinctura solito modo exprimatur, filtretur, servetur.

Tincturæ Partibus septem,
Spiritus muriatico-ætherei Pars una

ante addatur quam dispensetur.

Tinctura Castorei canadensis ætherea.

Flygtige canadisk Bævergeil-Draaber.

Rc. **Castorei canadensis minutim concisi Unciam,**

Spiritus sulphurico-ætherei Uncias sex.

Vitro bene clauso per octo dies subinde agitando macerentur, deinde cito exprimantur et filtrentur. Vase optime clauso serventur.

Eadem ratione paretur

Tinctura Castorei moscovitici ætherea, *flygtige russisk Bævergeil-Draaber.*

□ Tinctura Chinæ composita.

(Elixir roborans ad modum Whytti.)

Whytts styrkende Draaber.

Rc. **Corticis Chinæ regiæ contusæ Uncias quatuor,**
Radicis Gentianæ concisæ,
Flavedinis Corticum Aurantiorum concisæ,
singulorum Unciam et dimidiam,
Spiritus Vini gallici Libras quatuor.

Solito modo per sex dies digerantur.

□ Tinctura Colocynthidis.

Coloquint-Draaber.

Rc. Colocynthidum a Seminibus liberatarum et minutim concisarum Unciam,
Seminis Anisi stellati Drachmam,
Spiritus Vini rectificatissimi Libram.

Solito modo digerantur.

Tinctura diuretica.

(*Mixtura diuretica.*)

Urindrivende Draaber.

Rc. Aceti scillitici,
Spiritus muriatico-ætherei,
singulorum Partes æquales.

Misceantur.

Tinctura Ferri acetici ætherea.

Flygtige eddikesyret Jern-Draaber.

Rc. Liquoris Ferri muriatici quantum vis,
Aquæ destillatæ Parte sufficiente

diluti, cui

Liquor Kali caustici

addatur, quamdiu sedimentum inde oriatur, diligenter cavendo, ne præcipitans excedat. Quod edulcoratum et nonnihil sicca-

tum inter chartam bibulam prematur, quamdiu charta inde humescat. Tum sedimentum in

Aceti concentrati Partibus sex

sensim bacillo vitreo interdum agitando immittatur, dum lenis calor simul adhibeatur, ut solutio inde efficiatur.

Solutionis filtratæ Unciis novem

addantur

Aetheris acetici Uncia,
Spiritus Vini rectificatissimi Unciæ duæ.

Sit coloris rubro-fusci, ponderis specifici 1,025—1,03.

Tinctura Ferri muriatici.

Saltsyret Jern-Draaber.

Rc. **Liquoris Ferri muriatici Partem,**
Spiritus Vini rectificatissimi Partes tres.

Misceantur.

□ Tinctura Ferri pomati.

Æblesyret Jern-Draaber.

Rc. **Extracti Ferri pomati Unciam,**
Aquæ Cinnamomi vinosæ Uncias sex.

Solutio inde facta per viginti quatuor horas seponatur, tum limpide per colum defundatur. In vitro obturato servetur.

Tinctura Formicarum.

Myre-Draaber.

Rc. Formicarum recens collectarum a quisquiliis mundatarum Libras duas,
Spiritus Vini rectificati Libras sex.

Digerantur per triduum, deinde exprimantur et filtrentur.

□ Tinctura Guajaci ammoniata.

(*Tinctura Guajaci volatilis.*)

Flygtige Guajac-Draaber.

Rc. Resinæ Guajaci nativæ Uncias duas,
Liquoris Ammonii vinosi Libram.

Macerentur per sex dies in vitro clauso, sæpius conquassando, ut tinctura extrahatur, quæ limpide decanthata per colum defundatur. In vitro bene obturato loco frigido servetur.

Tinctura Jodii.

Jodine-Draaber.

Rc. Jodii Grana quadraginta octo,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas.

Digerantur et sæpius conquassando solvantur; liquor autem sollicite decanthatus in vitro bene obturato servetur.

Tinctura Kali hydrojodici.

Jodkalium-Draaber.

Rc. Kali hydrojodici Drachmas duas,
Spiritus Vini rectificati Uncias tres.

Soluta filtrentur.

Tinctura kalina.

Æts-Kali-Draaber.

Rc. Kali caustici sicci Uncias quatuor,
quæ mortario ferreo calefacto pulveratæ in
Spiritus Vini alcoholisati, quem leniter calefactum cucurbita continet, Libras duas

ingerantur. Probe agitentur; tum, imposito alembico vitreo, cui luti farinacei et vesicæ ope excipulum adjunctum sit, per aliquot dies balneo arenæ digerantur, ut kali causticum solvatur. Tum, cucurbita bene refrigerata, liquor a sedimento limpide decanthetur; spiritus autem, qui in excipulum transiit, liquori ante affundatur, quam tinctura vitro bene obturando immittatur.

Tinctura Moschi.

Moschus-Draaber.

Rc. Moschi orientalis Drachmas duas,
Spiritus Vini rectificati Uncias tres.

In vitro obturato sæpius conquassando macerentur, donec omnis moschus probe solutus sit. Filtrata in vitro optime clauso serventur.

Tinctura Nucum vomicarum.

Rævekage-Draaber.

Rc. Nucum vomicarum limatarum Uncias tres,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duodecim.

Solito modo digerantur.

□ Tinctura Opii benzoica.

(Elixir paregoricum.)

Beroligende Brystdraaber.

Rc. Acidi benzoici,
Opii caute siccati et pulverati,
singulorum Drachmam,
Camphoræ raffinatæ Scrupulos duos,
Olei Anisi Drachmam dimidiam,
Spiritus Vini rectificati Uncias viginti quatuor.

Leni calore digesta filtrentur.

Nota. Quæque uncia tantum opii continet, quantum spiritus e granis duabus et dimidio digestione extrahere potest.

□ Tinctura Opii crocata.

(Laudanum liquidum Sydenhami.)

Laudanum.

Rc. Opii caute siccati et pulverati Uncias duas,
Croci orientalis Unciam dimidiam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Corticis Cinnamomi,
singulorum Drachmam,
Vini malacensis genuini Uncias duodecim.

Solito modo digerantur, donec opium, quantum fieri potest, solutum fuerit. Tum liquor exprimatur et deinde filtretur. Ut restituatur ea pars, quæ digestione, expressione, filtratione consumta est, tantum aquæ destillatæ addatur, quantum ad pondus unciarum duodecim efficiendum sufficiat. In vitro bene clauso loco umbroso caute servetur.

Nota. Quæque drachma hujus tincturæ tantum opii continet, quantum ex granis decem digestione menstruum extrahere potest, atque guttis decem inest circiter, quantum e grano solvi potest. Sit ponderis specifici 1,045—1,055.

□ Tincfura Opii simplex.

(Tinctura thebaica.)

Almindelige Opiums-Draaber.

Rc. Opii caute siccati et pulverati Unciam,
Vini hispanici Uncias duodecim.

Solito modo digesta exprimantur et filtrentur. Menstruum digestione consumtum, addenda parte vini hispanici, restituatur.

Nota. Dimidiam opii partem quod tinctura opii crocata continet.

Tinctura Opii spirituosa.

Viinaandsholdige Opiums Draaber.

Rc. Opii caute siccati et pulverati Unciam,
Spiritus Vini rectificati Uncias duodecim.

Ut reliquæ opii tincturæ paretur et eandem quam tinctura opii simplex partem opii continet.

Tinctura Rhei amara.

Bittre Rhabarber-Draaber.

Rc. Radicis Rhei optimæ Uncias duas,
— Gentianæ Unciam dimidiam,
— Serpentariæ virginianæ Drachmam cum dimidia.

Minutim concisa cum

Spiritus Vini rectificati Libris duabus

solito modo digerantur. Filtrata in vitro clauso serventur.

□ Tinctura Rhei aquosa.

(*Anima Rhei.*)

Rhabarber-Draaber.

Rc. Radicis Rhei optimæ in taleolas tenuissimas concisæ Unciam et dimidiam,

Kali carbonici Drachmas tres.

Quibus infundantur

Aquæ fervidæ Unciæ duodecim.

Colaturæ Unciis decem

addantur

Aquæ Cinnamomi vinosæ Unciæ duæ.

Misceantur.

□ Tinctura Rhei vinosa.

Viinholdige Rhabarber-Draaber.

Rc. Radicis Rhei optimæ concisæ Uncias duas,
— Gentianæ concisæ Drachmas sex,

Seminum Cardamomi minoris Unciam dimidiam,
Vini albi hispanici Libras duas.

Solito modo digerantur et filtrentur.

Tinctura sacra.

Sammensatte Aloe-Draaber.

Rc. Aloës lucidæ tritæ Unciam,
Radicis Serpentariæ,
— Zingiberis,
singulorum Drachmam,
Vini albi hispanici Libram et dimidiam.

Solito modo digerantur.

Tinctura Valerianæ ammoniata.

Ammoniakholdige Baldrian-Draaber.

Rc. Radicis Valerianæ recens pulveratæ Uncias duas,
Liquoris Ammonii vinosi Uncias duodecim.

In cucurbita clausa per triduum digerantur; liquor pulveri radicum innatans limpide decanthetur et per colum defundatur. In vitro bene clauso servetur.

Trochisci Ipecacuanhæ.

Ipecacuanha-Kager.

Rc. Radicis Ipecacuanhæ recens pulveratæ Grana triginta sex,

Sacchari albi Uncias quatuor,
Mucilaginis Gummi arabici quantum satis,

ut fiat massa, ex qua formentur trochisci numero centum quadraginta quatuor.

Ungventum Altheæ.

Althea-Salve.

Rc. Radicis Altheæ concisæ Uncias duas,
Seminum Lini integrorum,
— Foeni græci —,
singulorum Unciam,
Pulveris Radicis Curcumæ Unciam,
Aquæ communis Libras sex.

Coquantur, donec dimidia aquæ pars consumta sit. Decocto colato atque, quum faeces subsederint, limpide decanthato addantur

Axungiæ Porci bene mundatæ Libræ quatuor.

Quibus ad consumtionem humiditatis usque coctis addantur

Ceræ flavæ Unciæ octo.

Liquefacta iterum colentur.

□ Ungventum basilicum flavum.

Guul Kongesalve.

Rc. Colophonii,
Ceræ flavæ,
Sebi ovilli,
singulorum Libram,
Terebinthinæ communis Libram dimidiam,
Olei Olivarum Libras tres.

Leni igne liquata colentur.

□ Ungventum basilicum nigrum.

Sort Kongesalve.

Rc. Colophonii,
Picis nigræ,
Ceræ flavæ,
Sebi ovilli,
Terebinthinæ communis,
singulorum Libram,
Olei Olivarum Libras tres.

Lege artis liquefacta colentur.

□ Ungventum Cantharidum.

Spanskflue-Salve.

Rc. Olei Cantharidum infusi Uncias sex,
in quibus leni calore liquefiant
Ceræ albæ Unciæ quatuor.

Sedulo agitentur, pauxillo aquæ fontanæ admixto, donec fiat ungventum.

□ Ungventum Cantharidum colatum.

Grön Spanskflue-Salve.

Rc. Colophonii,
Ceræ flavæ,
Sebi ovilli,
Terebinthinæ communis,
singulorum Uncias quatuor.

Quibus lege artis liquatis addantur
Olei Olivarum Unciæ sedecim,
Cantharidum tritarum Unciæ duodecim.

Post digestionem per aliquot horas in vase clauso colentur et admisceantur

Aeruginis Oleo Olivarum bene tritæ Drachmæ tres.

Refrigeratum servetur.

□ Ungventum Cerussæ.

(*Ungventum album simplex.*)

Blyhvidt-Salve.

Rc. **Cerussæ subtilissime pulveratæ Uncias tres,**
Axungiæ Porci recentis optime elotæ Uncias sex.

Adipe liquata, in vase lapideo exactissime misceantur atque agitaculo ligneo agitentur, donec refrixerint.

Nota. Ne rancidum evadat ungventum, magna copia nunquam simul paretur.

□ Ungventum Cerussæ camphoratum.

(*Ungventum album camphoratum.*)

Kamfer-Salve.

Rc. **Ungventi Cerussæ Unciam,**
Camphoræ paucis guttis Olei Olivarum bene exstinctæ Scrupulum.

Misceantur.

Ungventum Elemi.

(*Balsamum Arcæi.*)

Elemi-Salve.

Rc. **Sebi ovilli Uncias sex,**
Ceræ flavæ Drachmas sex,
Olei Hyperici cocti Uncias duas.

Simul liquatis addantur

Elemi Unciæ sex,
Terebinthinæ venetæ Unciis sex leni caloris ope antea exstinctæ.

Omnibus simul commixtis addatur

Pulveris Ligni Santali rubri Uncia dimidia.

Tum diligenter colata refrigerentur.

Ungventum helleboratum.

(Ungventum ad Scabiem anglicum.)

Engelsk Fnat-Salve.

Rc. Pulveris Sulphuris depurati Unciam,
— Radicis Hellebori albi Drachmas duas,
— Nitri depurati Grana decem,
Saponis viridis Unciam,
Axungiæ Porci Uncias tres.

Misceantur.

Ungventum hæmorrhoidale.

Takke-Salve.

Rc. Camphoræ pulveratæ Scrupulos duos,
Croci pulverati Scrupulum unum.

Quibus cum

Olei Hyoscyami cocti Drachmis duabus

bene contritis addantur

Ungventi saturnini Drachmæ sex.

Simul commisceantur.

Paretur ex tempore.

Ungventum Hydrargyri album.

(*Linimentum mercuriale Werlhofi.*)

Hvid Qviksölv-Salve.

Rc. **Hydrargyri ammoniato-muriatici Drachmam,**
Axungiæ Porci bene elotæ Unciam.

Exacte commisceantur, ne particulæ hydrargyri ammoniato-muriatici distinguantur.

□ Ungventum Hydrargyri citrinum.

Guul Qviksölv-Salve.

Rc. **Hydrargyri depurati Unciam,**
Acidi nitrici Uncias duas.

Solutioni inde factæ addantur

Olei Olivarum Unciæ novem,
Axungiæ Porci bene elotæ Unciæ tres.

In vase vitreato simul coquantur, donec colorem aurantiacum obtinuerint, et sal quasi præcipitetur. Tum continuo agitetur, donec frigescat ungventum.

Sit coloris flavescentis, consistentiæ mollioris.

Ungventum Hydrargyri citrinum mitius.

Mildere guul Qviksölv-Salve.

Rc. **Ungventi Hydrargyri citrini Partem,**
Axungiæ Porci bene elotæ Partes duas.

Misceantur.

□ Ungventum Hydrargyri cinereum.

(Ungventum neapolitanum.)

Graa Qviksölv-Salve.

Rc. Hydrargyri depurati,
Sebi ovilli,
singulorum Libram.

Vase idoneo sensim optime agitentur, donec globuli hydrargyri omnino exstincti sint. Tum admisceantur

Axungiæ Porci bene elotæ Libræ tres.

Hydrargyrum tam exacte sit exstinctum, ut ne microscopio quidem globuli hydrargyri conspici queant. Neque odor rancidus prodeat.

□ Ungventum Hydrargyri rubrum.

(Balsamum ophthalmicum rubrum. Ungventum ophthalmicum rubrum.)

Röd Qviksölv-Salve, röd Öiensalve.

Rc. Hydrargyri oxydati rubri in pulverem subtilissimum redacti Drachmas duas.

Quibus inter perpetuam agitationem commisceantur

Butyri recentis liquati omni sale privati Unciæ tres,

donec refrixerint.

Ungventum Kali hydrojodici.

Jodkalium-Salve.

Rc. Kali hydrojodici Drachmam,
Magnesiæ carbonicæ Grana sex.

Additis aliquot aquæ guttis bene terantur, tum

Ungventi rosati Uncia

admisceatur, ut fiat ungventum.

Paretur ex tempore. Sit album, sensim flavescens.

□ Ungventum Lapidis calaminaris.

(Ungventum griseum.)

Galmeie-Salve.

Rc. **Ceræ flavæ Uncias tres,**

Olei Olivarum Uncias septem.

Quibus liquatis et colatis

Lapidis calaminaris lævigati Unciæ duæ

inter perpetuam agitationem addantur, donec refrixerint.

Ungventum martiatum.

Jern-Salve.

Rc. **Limaturæ Ferri puri Partem,**

Acidi nitrici tenuis Partes quatuor.

Solutioni inde effectæ admisceantur

Olei Olivarum Partes quatuor,

quæ miscela deinde lege artis in consistentiam ungventi coquatur.

Unguentum mezere

Ungventum nervinum.

Sene-Salve.

Rc. **Florum Lavendulæ recentium Libram,**

Herbæ Majoranæ recentis,

Herbæ Rutæ recentis,

singulorum Libram dimidiam,

Baccarum Lauri,
Radicis Pyrethri,
singulorum Uncias tres.

Quibus incisis et contusis

Axungiæ Porci elotæ Libræ quatuor,
Sebi ovilli Libræ duæ

addantur, quæ deinde leni igne simul coquantur, donec omnis humiditas consumta sit. In quibus expressis et colatis liquefiat

Ceræ flavæ Libra dimidia.

Tum ungvento prope refrigerato addantur

Olei Rorismarini Unciæ sex.

Denique tantum miscelæ pulveris radicis curcumæ et indigo immisceatur, ut colorem pulchre viridem obtineat ungventum.

Ungventum oxygenatum.
Alyons-Salve.

Rc. **Axungiæ Porci Partes octo.**

Quibus super lenem ignem in vase terreo vitreato liquatis, dum bacillo vitreo agitatur, sensim admisceatur

Acidi nitrici Pars una,

neque ab igne prius removeatur, quam aër nitrosus non amplius evolvatur, neque charta exploratoria coerulea tingatur. Refrigeratum vase clauso loco umbroso servetur.

Ungventum piceum.
Tjære-Salve.

Rc. **Picis liquidæ Partes duas,**
Butyri saliti,
Cinerum clavellatorum,
singulorum Partem unam.

Lege artis misceantur.

Ungventum populeum.

Poppel-Salve.

Rc. **Gemmarum Populi recentium in pultem contusarum Libras duas,**

Axungiæ Porci recentis bene elotæ Libras quinque,

quæ bene commixta in æstatem serventur, ut eo tempore

Herbæ Hyoscyami recentis contusæ Libræ duæ

iis immisceri possint. Tum miscela coquatur, donec omnis humiditas consumta sit, atque post expressionem et colationem unguentum ita paratum solito modo servetur.

Nota. Si herba hyoscyami recens haberi non potest, quarta herbæ siccatæ pars sumatur.

Ungventum quercinum.

(Plumbum scytodepsicum humidum.)

Blyholdig Egebark-Salve.

Rc. **Corticis Quercus concisi Uncias duas,**

Aquæ communis Uncias triginta duas.

Coquantur, donec dimidia aquæ pars consumta sit. Decocto colato addatur

Acetum saturninum

quamdiu sedimentum oritur, quod aqua edulcoratum forma linimenti spissioris dispensetur.

Paretur ex tempore.

Ungventum rosatum.

Rosen-Salve.

Rc. **Axungiæ Porci Aqua Rosarum elotæ Uncias octo,**

Ceræ albæ Uncias duas.

Quibus leni igne liquatis et refrigeratis sensim admisceantur

Aquæ Rosarum Unciæ duæ.

Continuo et fortiter simul agitentur, donec ungventum albissimum fiat. Tum miscendo addantur

Olei Rosarum Guttæ viginti.

Ungventum Sabina

□ Ungventum saturninum.

(*Ungventum nutritum.*)

Kjöl-Salve.

Rc. **Ceræ albæ Uncias tres,**
Olei Olivarum Uncias octo.

Quibus leni igne liquatis addantur

Plumbi acetici Uncia et dimidia,
Olei Olivarum Unciis quatuor

soluti. Continuo et fortiter simul agitentur, donec ungventum albissimum fiat.

Ungventum ad Scabiem Jasseri.

Jassers Fnat-Salve.

Rc. **Florum Sulphuris Uncias duas,**
Zinci sulphurici pulverati Unciam,
Axungiæ Porci Libram.

Commisceantur.

Ungventum ad Scrophulos Hufelandi.

Hufelands Salve mod Scrophler.

Rc. **Axungiæ Porci elotæ Unciam,**

Fellis Tauri inspissati Drachmas duas,
Olei Petræ rectificati Drachmam,
Ammonii carbonici pyro-oleosi,
Camphoræ pulveratæ,
singulorum Grana decem.

Lege artis misceantur in ungventum.
Paretur ex tempore.

□ Ungventum sulphurato-saponaceum.

Svovel-Sæbe-Salve.

Rc. Florum Sulphuris Uncias duas,
Saponis viridis Uncias octo.

Misceantur.

Ungventum stibiatum.

Koppetrækkende Salve.

Rc. Tartari stibiati Partem unam,
Axungiæ Porci bene elotæ Partes tres.

Diligentissime commisceantur, ut fiat ungventum albissimum.
Paretur ex tempore.

Ungventum stibiatum compositum.

Stærkt koppetrækkende Salve.

Rc. Ungventi stibiati Unciam,
Mercurii sublimati corrosivi Grana decem.

Diligentissime lege artis commisceantur.
Paretur ex tempore.

□ Ungventum terebinthinatum.

(*Ungventum digestivum.*)

Terpentin-Salve.

Rc. Ceræ citrinæ Unciam et dimidiam.

Cui leni igne liquatæ addantur

Terebinthinæ venetæ Unciæ duæ

et deinde

Olei Terebinthinæ Unciæ duæ.

Misceantur.

Ungventum Zinci.

(*Ungventum Nihili albi.*)

Zink-Salve.

Rc. Nihili albi Drachmam,

Axungiæ Porci bene elotæ Unciam.

Diligenter commisceantur.

Veratrinum.

Veratrin.

Rc. Seminis Sabadillæ contusi Libras duas,

Spiritus Vini rectificati Libras sex.

Quibus in retorta, cui excipulum adaptatum est, per horam coctis, liquor inde effectus e seminibus defundatur. Æqua spiritus pars denuo iis affundatur et coctio simili modo etiam ad tertium repetatur. Quæ in retorta remanent semina sabadillæ exprimantur; liquores autem commixti in retortam ex-

cipulo instructam immittantur, ut spiritus destillatione abstrahatur. In retorta remanens aquosa pars ad consistentiam extracti evaporata ter aut sæpius cum

Aqua Acido sulphurico acidulata

decoquatur. Quibus decoctis ad consistentiam syrupi leni calore evaporatis et deinde refrigeratis admisceatur

Magnesiæ ustæ quantum sufficit,

ut saturetur acidum. Mixtio tum inter chartam bibulam exprimatur; quod in ea remanet bene ablutum et exsiccatum

Spiritu Vini rectificato

bis terve digeratur. E quibus ita paratis tincturis, spiritu destillatione abstracto, remanens pars cum

Aqua Acido sulphurico acidulata

et

Carbone animali bene abluto

per quadrantem horæ coquatur. Denique liquori ad spissitudinem syrupi caute evaporato

Liquoris Ammonii caustici tantum

instilletur, quantum ad veratrinum præcipitandum sufficit, quod lege artis separatum cautissime servetur.

Est saporis acris, urentis, minime amari. Naso admotum sternutationem vehementem facile excitat. Spiritus facilius, æther difficilius veratrinum solvit, aqua minimam solum partem.

□ Vinum Colchici e Seminibus.

Colchicum-Viin af Fröet.

Rc. **Seminum Colchici contusorum Uncias duas,**
Vini gallici albi Libram.

Subinde agitando per decem dies digerantur, tum exprimantur et filtrentur.

Vinum Ipecacuanhæ.

Brækrod-Viin.

Rc. Radicis Ipecacuanhæ pulveratæ Unciam,
Vini albi gallici Uncias sedecim.

Sæpius agitando per septem dies macerentur. Tum liquor expressus et filtratus in vitro bene clauso servetur.

Vinum roborans.

Styrkende Viin.

Rc. Limaturæ Ferri puri,
Pulveris Corticis peruviani regii,
— — Canellæ albæ,
— Radicis Calami aromatici,
singulorum Unciam,
Vini albi gallici Mensuras duas.

Per biduum digesta filtrentur.

Vinum stibiatum.

Bræk-Viin.

Rc. Tartari stibiati Grana duo,
Vini albi gallici Unciam.

Solvantur.

Ex tempore aut minima tantum pars paretur.

□ Zincum oxydatum album.

(*Flores Zinci.*)

Zink-Ilte, Zink-Blomster.

Rc. Zinci purioris, ex India orientali advecti, comminuti, quantum vis.

Crucibulo tam amplo, ut zincum nonnisi quartam voluminis partem capiat, immittatur. Crucibulum in furno anemio aut alio modo inter prunas candentes ita ponatur, ut in latus nonnihil inclinet; ignis autem ita urgeat et tamdiu pergat, donec metallum fluat et tandem flammas concipiat. Tum aliud crucibulum ita inversum imponatur, ut tamen accessus aëris atmosphærici non plane avertatur. Flamma exstincta, superius crucibulum inversum auferatur; oxydum album jam formatum cochlearis ferrei ope auferatur, ut aër atmosphæricus in zincum nondum oxydatum vim suam exerceat. Nova zinci pars oxydata eodem modo separetur, et ita pergatur, donec omne zincum in oxydum conversum sit. Zincum oxydatum ita collectum elutriando in pulverem subtilissimum redigatur, qui siccatus in vase bene obturato servetur.

Sit pulvis albus, levissimus, excandefactus flavescat, denuo refrigeratus iterum albescat, acido sulphurico sine effervescentia plane solvatur. Cui solutioni neutri liquor ammonii caustici appositus sedimentum album efficiat, quod majore copia ammonii caustici addita rursus solvatur, nullis oxydi ferrici flocculis relictis. Neque turbetur solutio zinci acido muriatico facta, si solutio barytæ muriaticæ additur. Hydrogenium sulphuratum, huic solutioni zinci acido muriatico acidulatæ additum, sedimentum neque flavum neque nigrum efficiat.

□ Zincum sulphuricum.

(*Vitriolum album purum.*)

Svovelsyret Zink-Ilte.

Rc. Zinci purioris ex India orientali advecti, diffracti, quantum vis,

Acidi sulphurici diluti quantum sufficit,

ut zincum inde solvatur. Solutio, nova zinci copia addita, seponatur, donec metalla aliena, quæ separari possunt, præcipitata sint. Tum liquorem filtratum evaporando crystalli lege artis formentur, quæ siccatæ serventur.

Sint crystalli coloris expertes, subpellucidæ, forma crystallis magnesiæ sulphuricæ haud dissimiles, saporis metallici, styptici, aëri expositæ fatiscentes, aquæ partibus duabus cum dimidia solubiles. Hydrogenium sulphuratum, solutioni hujus salis acido muriatico acidulatæ additum, sedimentum neque flavum neque fuscum neque nigrum efficiat.

Zincum valerianicum

INDEX NOMINUM LATINORUM.

INDEX NOMINUM DANICORUM.

TABULA

venenorum et medicaminum heroicorum
partis posterioris.

Acetum saturninum.
Acidum hydrocyanicum.
muriaticum concentratum.
nitricum concentratum.
sulphuricum depuratum.
Aqua Amygdalarum amararum.
Laurocerasi.
Opii.
phagedænica.
Argentum nitricum crystallisatum.
fusum.
Aurum muriaticum natronatum.
Cuprum aceticum crystallisatum.
sulphuricum purum.
ammoniatum.
Elixir acidum Halleri.
Extractum Aconiti.
Belladonnæ.
Conii maculati.
siccum.
Hyoscyami.
siccum.
Lactucæ virosæ.
Nucum vomicarum.
Opii.
Stramonii.
Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.
bijodatum.
jodatum.
muriaticum corrosivum.
oxydatum rubrum.
Kali causticum fusum.
siccum.
Liquor arsenicalis.
Hydrargyri nitrici.
Kali caustici.
Stibii muriatici.
Morphium.
aceticum.
Pilulæ Conii maculati.
cupreæ.
narcoticæ.
Plumbum aceticum depuratum.
Strychninum.
nitricum.
Tartarus stibiatus.
Tinctura Aconiti.
Cantharidum.
concentrata.
Colocynthidis.
Digitalis.
ætherea.
Hyoscyami.
Jodii.
kalina.
Nucum vomicarum.
Opii crocata.
simplex.
spirituosa.
Stramonii.
Veratrinum.

ERRATA ET EMENDANDA.

Pagina 3, Linea 5. Unciæ duæ *lege* Uncia et dimidia.
— 4, — 1. Acido sulphurico signum ††† apponatur.
— „ — 23. Ærugini signum ††† apponatur.
— 13, — 30. maturæ *lege* non plane maturæ.
— 33, — 18. Comma inter caulinis et amplexicaulibus deleatur.
— 127 et 128. Signum □ Decoctis appositum deleatur.
— 162, Linea 27. atri *lege* Natri.
— 174, — 4. aquæ *lege* aquæ fervidæ.

A